

118
36
27



SUCCINCTA COMMENTATIO
DE
IMPERIO
MARIS ADRIATICI
CÆSARI
QUA
REGI DALMATARUM
AC
PRINCIPI ISTRIÆ
UT ET
REGI NEAPOLEOS
ATQUE SICILIÆ
PROPRIO,



SIVE

CONFUTATIO SCRIPTIONIS

apud Londorpium T. I. Act. Publ. Lib. II. Cap. XV.

PRO
REPUBLICA VENETORUM
CONCINNATÆ,

AUCTORE
JOANNE AUGUSTO NOBILI DOMINO
DE BERGER.



LIPSIÆ,
Sumptibus HEREDUM FRIDERICI LANCKISII.
ANNO MDCCXXIII.

AUGUSTISSIMO
AC
INVICTISSIMO

CAROLO VI.

ROMANORUM

IMPERATORI

SEMPER AUGUSTO,

GERMANIÆ, CASTELLÆ, ARRAGONIÆ, LEGIONIS, UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, NAVARRÆ, GRANATÆ, TOLETI, VALENTIÆ, GALLITIÆ, MAJORICARUM, SEVILIÆ, SARDINIÆ, CORDUBÆ, CORSICÆ, MURCIÆ, GIENNIS, ALGARBIÆ, ALGEZIRÆ, GIBRALTARIS, INSULARUM CANARIÆ ET INDIARUM AC TERRÆ FIRMÆ MARIS OCEANI

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
DUCI
BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI, MANTUÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, LIMBURGIÆ, GELDRIÆ, VIRTENBERGIÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS SILESIÆ, CALABRIÆ, ATHENARUM ET NEOPATRIÆ,

PRINCIPI
SUEVIÆ, CATALONIÆ, ET ASTURIÆ,

MARCHIONI
SACRI ROMANI IMPERII, BURGOVIÆ, MORAVIÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,

COMITI
HABSBURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, FERRETIS, KYBURGI, GORITIÆ ET ARTHESIÆ,

LANDGRAVIO ALSATIÆ,
MARCHIONI ORISTANI, COMITI GOZIANI, NAMURCI, ROSSILIONIS ET CERITANIÆ,

DOMINO
MARCHIÆ SCLAVONICÆ, PORTUS MAGONIS, BISCAIÆ, MOLINÆ, SALINARUM, TRIPOLIS ET MECHLINIÆ, &c. &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

IMPE-

IMPERATOR SANCTISSIME,

AUGUSTORUM AUGUSTE,



Udet tenue hocce opusculum, CÆSAR AUGUSTISSIME, TUUM sibi AUGUSTUM nomen inscribere, non sui, non auctoris, sed argumenti fiducia, pro supremo S. MA-

JESTATIS TUÆ, qua Regis Dalmatiæ, Principisque Istriæ, in Mari Adriatico imperio adornatum. Pietate vero obsequiique reverentia erga S. MAJESTATEM TUAM eo magis instinctus fui atque impulsus, ad hoc, qualecunque sit scriptum, pro summo S. MAJESTATIS TUÆ in Mari Adriatico Dominio concipiendum atque concinnandum, quo certius innotesceret mihi, hanc S. TUÆ MAJESTATIS eminentem in Mari Adriatico jurisdictionem scriptione quadam nunquam fuisse edoctam atque propugnatam, TUÆque S. MAJESTATI plene vindicatam. Et quanquam, ut volunt quidam Scriptores, extet aliquod scriptum, quo hocce S. MAJESTATIS TUÆ optimum summumque jus ostensum fuerit atque edoctum:

ctum: attamen, cum in occulto illud jaceat, eruditosque adhuc lateat, nec ad me pervenerit, mihi, qui S. MAJESTATEM TUAM reveretur, suspicit, sancteque habet, licitum nihilominus fuit atque permissum, justum S. MAJESTATIS TUÆ in Mari Adriatico Dominium coram adducere, evincere, & reddere inconcussum. Ac quanquam nihil mihi sumere atque arrogare velim, ne de me ipso prædicare videar: illud tamen pertenui hacce commentatione ita erutum evictumque fuisse, mihi persuadeo, ut contra omnes adversariorum obtrectationes defendere id, atque vindicare ausim. His vero, ut obviam quoque occurrerem, non alienum videbatur, ac potius maxime necessarium, scriptionis cujusdam pro Republica Veneta concinnatæ, argu-

menta

menta ſpecioſa, fucoque illita, inveſtigare quodammodo, atque convellere, ita, ut perſpicuum explanatumque, immo manifeſtum omnibus eſſe poſſit, Rempublicam Venetam hoc Maris Adriatici Dominium nullo penitus jure ſibi adrogaſſe, & adhuc ſibi adſciſcere, adeoque nemini, quam S. MAJESTATI TUÆ, *juſte legitimeque competere ac vindicari poſſe. Unde, & in hunc finem, ſummum maximumque fundamentum, quo* MAJESTATIS TUÆ *imperium in Mari Adriatico legitimum innititur atque ſuffulcitur, id quod nempe* S. MAJESTATI TUÆ, *qua Regi Dalmatiæ, Principique Iſtriæ recte adſcribitur, in fine opuſculi rimatus ſum atque ſcrutatus: illudque fictitium jus, quod tam Veneti, quam Pontifex Romanus, in Regnum*

Dalma-

Dalmatiæ, adeoque in Dominium Maris Adriatici, cum ipſo conjunctum atque connexum ſibi competere autumant, nihil valere, ſed frivolum eſſe, nulloque nixum fundamento, variis edocui rationibus, atque commonſtravi. Cauſſam vero non minimam attulit, præbuitque mihi anſam, hoc potiſſimum tempore, S. MAJESTATIS TUÆ Dominium in Mari Adriatico levi hocce opuſculo evincendi atque eruendi, cum Societas Orientalis, quam ad promovenda tuendaque commercia, egregiis ac eximiis ſtipaſti accumulaſtique privilegiis, naves negotiatorias per Mare Adriaticum ad Iſtriæ portus validiſſimos, Tergeſte & Fiume, transmittat, adeoque multum interſit, ut liberum in Mari Adriatico navigationis exercitium ſalvum ipſi perſtet atque

 inco-

incolume. Accedit, quod Reſpublica Veneta apud S. MAJESTATEM TUAM de eo forſitan fuerit conqueſta, ac dominium ſibi ſolummodo in Mari Adriatico legitime competens omnino, ſed vane jactarit. Quare hac quoque commota, adductaque ratione, pietas mea atque obſequii reverentia erga S. MAJESTATEM TUAM, qua nemini, quisquis hic cujusve fuerit, cedo, haud pati atque permittere voluit & potuit, quo minus ſtabile firmumque S. MAJESTATIS TUÆ in Mari Adriatico imperium in hocce exiguo tractatu, quem ad pulvinar S. MAJESTATIS TUÆ devotiſſima mente ſubjectiſſime ac demiſſisſime depono atque devolvo, propugnarem, TUÆque S. MAJESTATI ſolide pleneque vindicarem. Supplex itaque S. MAJESTA-

STATEM TUAM imploro, ut hisce laboribus meis benignissime aspiret, fructusque ingenioli mei, qui aræ TUÆ, quæ suavioribus epulis solita est onerari, libantur & consecrantur, & solita clementia accipiat, clementissime summum orbis conditorem imitata, qui pium & candidum offerentis animum opimis & maximis etiam donis solet anteferre. Quod reliquum est, nihil magis in optatis votisque habeo, quam ut summus terrarum Dominus S. MAJESTATEM TUAM in solamen levamentumque Orbis, qua nomine respondet suo, Christiani, per multos adhuc annos, incolumem, sartam tectamque servare velit, quo omnia, quæ hactenus S. MAJESTATI TUÆ hostiliter erepta fuere, atque a Provinciis TUIS Hæreditariis defalcata atque

 avulsa,

avulsa, TUÆ iterum adjicere ditioni, ac in clientelam tutelamque TUAM recipere brevi tempore possis. Summum vero Numen optumum maxumum adnuat hisce votis meis, ac plura illis addat, ut habeat AUGUSTISSIMA DOMUS AUSTRIACA, quam omnes optamus, quam speramus MAJESTATIS atque EMINENTIÆ perpetuitatem,

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS TUÆ,

Dabam Vindobonæ, XIV. Cal. Apr.
cIↄ Iↄ CCXXIII.

æternæ subjectionis atque obsequii lege devotissimus,

JOHANNES AUGUSTUS NOBILIS DOMINUS DE BERGER.

PRÆFA-



PRÆFATIO.

LECTURIS.

Salutem.

NEceſſe utique videbatur, *Lector benevole*, ut exiguo huic Scripto meo præfationem quandam præfigerem, ex qua inſtituti mei ratio intelligi poſſit. Scias itaque, haud ita pridem, cum Societas Orientalis, quæ a *S. Cæſarea Majeſtate*, ad promovenda ſtabiliendaque commercia, egregiis inſignita fuit privilegiis, per aliquod tempus hactenus naves negotiatorias ad Iſtriæ portus validiſſimos, *Tergeſte* (Trieſte) & *Fiume*, transmitteret, liberamque adeo in Mari Adriatico navigationem exerceret: Venetos, qui, prouti inter omnes conſtat, Maris Adriatici dominos ſeſe profitentur, ac neminem hoc adfectatum dominium in dubium revocaturum eſſe, certo ſibi perſuadent; de iſto Societatis Orientalis libero in Mari Adriatico navigandi exercitio valde eſſe conqueſtos, illudque legitimo ſuo ibidem do-

minio obesse ac derogare, contestatos. Ex parte vero *S. Cæsareæ Majestatis* repositum ipsis merito fuit, expeditum esse memoratumque, *S. Cæsareæ Majestati*, qua Regi Dalmatiæ, Principique Istriæ, hocce Maris Adriatici Dominium legitime potius competere, Venetosque illud injuste sibi adseruisse. Hinc Veneti quoque de pessima caussa sua convicti, Societati Orientali liberum in Mari Adriatico navigandi exercitium haud denegant, neque eidem illo adhuc interdicere audent. Ut vero pateat, ac cuilibet in promtu esse possit, hocce *S. Cæsareæ Majestatis*, qua Regis Dalmatiæ Principisque Istriæ in Mari Adriatico Dominium firmo stabilique innixum esse fundamento, animum intendi, ad illud, tenui quidem hocce Tractatu, eruendum quodammodo atque evincendum, ac *S. Cæsareæ Majestati* plene & efficaciter vindicandum. Accessit, quod cum varios evolverem, consuleremque Scriptores, nullum offenderim, qui hocce Regi Dalmatiæ Dominium in Mari Adriatico legitime competens, ex instituto delinearit. *Morisotus* etenim in Orbe suo Maritimo hæsitat, nec quid pronuntiare debeat, compertum habet. Pauca tamen de Venetorum possessione malæ fidei, quæ profert Auctor Gallus, vide apud *Goldastum* Polit. Imperial. p. 979. Acta vero ipsa apud *Guicciardinum* in editione non castrata. Multum vero cum referat, hocce Regis Dalmatiæ legitimum in Mari Adriatico imperium peculiari quodam scripto edoceri, ac perspicuum manifestumque reddi: operam haud ina-

nem

nem me navaturum esse, persuasum mihi habui, si scriptione hacce efficerem illud ac declararem. Cum vero animo perpenderem, cui potissimum me viæ in investiganda tam illustri caussa committerem, e re futurum esse censui, si, priusquam ad ipsius controversiæ accederem indagationem, quædam de Dominio Maris in genere præmitterem ac præmonerem. Attamen nulla ratio suasit, diu huic rei immorari, cum fuse jam ab aliis eruta fuerit atque demonstrata. Etenim *Dn. Strauchius* in Dissertatione *de Imperio Maris, Dn. Struv. in S. J. F. Cap. VI. Th. VII. num. 1. & 2. Dn. Zieglerus Tract. de Jur. Majest. Lib. II. Cap. VII. num. 9. & 10. Dn. Schilterus Exerc. IV. ad ff. Th. XV. Bæclerus ad Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 3.* satis superque commonstrarunt, mare proprietatis haud incapax esse, ac imperio vel dominio subjici posse. Ac id quidem evictum est, moribus Gentium hodiernis res communes non amplius esse nullius, sed ad Principem spectare, sicut nec usus illarum amplius omnibus competit libere, sed a Principe passim est circumscriptus: inde certum quandoque vectigal exigere solent Imperantes; immo ad Dominium Maris in specie asserendum, imperant velorum submissionem: **Daß das Dob-Seegel bald hernieder gelassen, und nicht ehe, biß man einen Canonen-Schuß weit in die See ist, wieder aufgezogen werde;** de quo vid. *Stipmann. de jur. maritim. Part. V. Cap. I. num. 11.* Et ut paucis me expediam, scias, *Lector Bene-*

Benevole, me de *interiori* mari, quod intra fines cujusdam imperii concluditur, hoc potiſſimum adſtruere, illudque omni vacare dubio, mihi quam certiſſime habere perſuaſum. Quare & in præſenti cauſſa id erit perſpicuum, cum Mare Adriaticum intra fines Regni Dalmatiæ, ut & Iſtriæ maxime concludatur, ac omni tempore cum illo conjunctum fuerit ac connexum. Quæ vero de *exteriori* mari, ſeu ipſo Oceano dominii capace, ſive incapace diſceptant, acriterque inter ſeſe contendunt Doctores, huc quidem non ſpectant, ac parum quoque de iis laboramus. Sufficit in præſenti Tractatu evictum fuiſſe atque edoctum, Mare Adriaticum intra fines Regni Dalmatiæ ut & Iſtriæ maxime concludi, ac ex hoc fundamento *S. Cæſareæ Majeſtati*, qua Regi Dalmatiæ, Principique Iſtriæ, legitime vindicari. Hinc & in fine hujus opellæ jus *Cæſaris* in Regnum Dalmatiæ legitimum fuſe edocui, nec Venetis, nec Pontifici Romano jus quoddam in illud competere, ſolide demonſtravi. Verum enim vero, cum Veneti varia prodant, venditentque argumenta, quibus imperium ſuum in Mari Adriatico evincere conantur legitimum, neceſſarium eſſe mihi viſum eſt, ſcriptionem quandam pro cauſſa Veneta concinnatam convellere. Quare, cum varia quidem pro Republica Veneta Scripta, ad prætentam ejusdem in Mari Adriatico jurisdictionem edocendam, diſperſa fuerint atque divulgata, ut 1.) *Allegazion in jure di Cornelio FRANGIPANE, per la Vittoria Navale,*

contro

contro Federico I. Imperatore, & Atto del Papa Alessandro III. per il dominio della Republica Veneta, del suo Golfo, contra alcune scritture de Napoletani. 4. Venezia. 1618. 2.) *Jo. Palatii de Dominio Maris. 12. Venezia. 1663.* 3.) *Angeli Mattheacii de jure Venetorum & jurisdictione Maris Adriatici. 4. Venezia. 1617.* 4.) *Jul. Pacii de Dominio Maris Adriatici, pro Republica Veneta. 4. Lugd. 1619.* Attamen, cum hæc Scripta partim ad me non pervenerint, partim, quæ hic Scriptor profert, traditque argumenta, ille etiam prædicet, perhibeatque: ſcriptionem potius *Francisci de Ingenuis de Jurisdictione Venetæ Reipublicæ in Mare Adriaticum* impreſſam *Genevæ 1619. 4.* prouti eadem extat apud *Londorp. Act. Publ. Tom. I. Lib. II. Cap. XV.* confutandam cenſui; ac ut quilibet argumenta, quæ in eadem continentur, ipſemet conſpicere, in eaque inquirere poſſit, Tractatui huic merito annexui. Cæterum ideo ſcriptum hocce elegi, quod compertum haberem, *Auctorem* non ſolum argumentis admodum ſpecioſis cauſſam Venetorum evictam reddere voluiſſe, ſed itidem iſtud nunquam fuiſſe refutatum. Quanquam enim *Londorpius* tradat, ſcriptionem tam ex parte *Hiſpanorum*, quam ex parte *Archi-Ducis Auſtriæ*, ut & *Sacri Romani Imperii*, remotam fuiſſe atque rejectam: tamen cum nec *ipſe* confutationem illam nobis communicaverit, nec de ea mihi conſtet, quid? quod eruditos adhuc lateat: (Vid. *Ludolphi* Schaubühne pag. 571. qui idem hoc

 cenſet)

censet) utile omnino duxi, salubreque institutum, si illam hic diluerem pro parte virili ac everterem. In quantum vero argumentis *Auctoris* sit satisfactum, id *Benevoli Lectoris* remitto judicio. Neutiquam enim id mihi arrogo, ut argumenta *Auctoris* ad perfectum plenumque in omnibus esse remota, mihi persuasum habeam. Id enim ingenue confiteor, me variis, admodum necessariis, librorum subsidiis fuisse destitutum, adeoque hæc vel illa magis forsitan dilucide solideque edoceri potuisse. Ast id tamen mihi persuadeo, præcipua, quæ pro caussa Veneta militant momenta, scrutata atque pervestigata a me, fuisse, ita ut ex omnibus in medium adductis satis superque effici colligique possit, caussam Venetorum infirmis ac speciosis tantummodo, fucoque illitis, innixam esse argumentis: adeoque eosdem Maris Adriatici Dominium Regibus Dalmatiæ injuste eripuisse, sibique illegitime adrogasse. Cæterum valde dolendum, Diplomata aliaque nostri Imperii instrumenta cum pulvere & tineis certare, neque in publicum adduci. Certe licet maximam eorum copiam jam teneamus, innumera tamen adhuc latent, quæ, si e tenebris in lucem vocarentur, variis illustrium controversiis decidendis inservire sane possent. Repagula itaque Archivorum aperienda sunt, ex iisque perfecta plenaque rerum gestarum cognitio haurienda. Hæc vero, cum adire non liceat, Historici in subsidium sunt vocandi, probi quidem atque ingenui, qui ad illustranda summorum Regum ac Principum

jura

jura faciunt, resque eorum gestas antiqua & incorrupta fide tradunt. Qua vero ratione *Auctor* scriptionis, pro caussa Veneta concinnatæ, eos sit secutus, *Lector Benevolus* ipsemet dijudicare poterit. Simul vero ex assertis *ejusdem* intelligi potest, quam maxime vitandi sint ii Scriptores, qui nimio adulandi ac blandiendi studio turgidi atque inflati, Principibus aliisque, quorum partibus sunt addicti, tantum pro sua voluptate vindicant atque adscribunt, ut aliorum Regum ac Principum juribus legitimis temere velint derogare, immo eadem infringere atque evertere. Mirandum sane, qua ratione quosdam Scriptores placendi studium in transversum egerit, alios credulitas obduxerit, nonnullos egerit ignorantia, quidam deinde conturbato conversoque ordine in devia iverint, aliqui etiam invidia aliorum aut æmulatione occœcati, fingere, quam condere maluerint annales, sive alias prodere collectiones, quæ enormibus scatent vitiis, ita ut vota potius pro earum incendio, quam conservatione sint concipienda. Hæc vero ideo commoneo, ut pateat, quam sparsim Historicis fides sit adscribenda, quantoque judicio, animoque perspecto, consilio eorum atque auctoritate sit innitendum. Operam itaque navare debemus, ut nullum, de quo non ingenuum extat judicium, scriptorem temere sequamur, ne in devias crassosque errores deducamur. Et hanc quoque normam in investiganda illustri hac caussa elegi ac secutus sum, nec sine sufficienti ratione quicquam temere cum aliis

 Scripto-

Scriptoribus asserui. Accipe igitur, *Lector Benevole*, hæc qualiacunque benevolo animo, & errores, qui irrepserunt, pro tuo in me candore mihi ignosce, hominemque me esse puta, nihilque humani a me alienum. Denique nihil magis abs te peto atque contendo, quam ut conatibus hisce meis faveas, meque in favore tuo, perpetuaque benevolentia conquiescere patiaris. Interim,

- - - si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Vale. Dab. Vindobonæ die III. Mart.
MDCCXXIII.



Pos. I.



N Mare Dominii capax ſit, ſeu ad res proprietati obnoxias pertineat, ſuperiori ſeculo primum calamis, dein gladiis, ſat acriter diſceptatum fuit. Nimirum inter Anglos & Batavos, qui populi præ aliis Europæ potentia maritima pollent, contentio hac de re exorta. Pro Anglis autem *Joh. Seldenus* librum erudite concinnavit, pro Batavis *Hugo Grotius* pugnavit. Ille de *Mari Clauſo* diſſeruit; hic de *Mari Libero*. Dein, bellum funeſtum, cui occaſionem præbuit Halecum captura, der Herings-Fang in Mari Septentrionali, quod Angliam a Batavia diſcernit, der Nord-See, inter utramque gentem prorupit. Deciſio quæſtionis, poſt aliquot prælia navalia, magno Batavorum detrimento, Anglorum, quos tum Olivierius Cromvvellus rexit, cauſam publice aſſeruit, ſic, ut, pactione ſolemni inita, Batavi lubenter Dominium maris Anglis relinquerent, demiſſione velorum, das Seegel-Streichen, & captura halecum, quodam ſtipendio annuo, redemtione, ſancte promiſſis.

Pos. II.

Plurimi dein Germaniæ JCti, quæſtionem ſat implicitam eruere ſunt moliti, qui ſubinde conſueverunt, controverſias pu-

 blice

blice agitatas, armisque jam dudum compofitas denuo excitare, & privato judicio, cum fibi infignem fentiendi libertatem folis, fingulari veluti beneficio, conceffam fuiffe arbitrentur, fubjicere. Inprimis *Joh. Strauchius*, Dominium Maris vindicare, annifus eft, *Tract. de Imperio Maris*, quem ceteri ftrenue fectantur.

Pof. III.

Nobis, rationes diverforum dogmatum difcutere, cum non fit animus, nec aliorum fcrinia compilare, proprias, ex ipfa rei natura petitas, animadverfiones exhibere liceat, utpote qui neque auctoritate aliorum facile movemur, neque blandiendi libidine laboramus.

Pof. IV.

Putamus vero, rem univerfam non ex fancitis Romanorum, quæ Reipublicæ fuæ univerfum orbem, & adeo quoque Maris Dominium, haud fine arrogantiæ aliquo dedecore, adferunt, *vid. L. 9. π. Ad L. Rhod. de Jactu;* potius ufu Gentium inveterato, & rationis ipfius dictamine, arceffendam effe. Nam Jus Romanum non ubique ad regulas Gentium Juris accommodatum deprehenditur, cum formam Reipublicæ Romanæ, ftatumque magis refpicere videatur. Romani, cum Monarchiam univerfalem conftruere molirentur, Jura liberarum Gentium & æqualium fuftulere, fic, ut plerisque, (nefcio, an jufte femper?) domitis, ifta Imperio fuo annecterent.

Pof. V.

Sicubi Dominii natura inquirenda fit, difpici debet, an res, quæ a reliquorum ufu excluditur, exclufionem talem admittat. Nam plura quidem occupantur, fed ægre retineri poffunt. Dominium vero non confiftit in fola occupatione, fed & neceffe eft, ut illud, quod occupatur, adverfus omnem externam vim defendi poffit. Alius eft modus acquirendi, alius habendi.

Pof. VI.

Pos. VI.

Deinde, cum Dominii finis primarius censeatur, usus rei verus; consequitur, omnia ea hancce facultatem respuere, quorum usus frustra exhauritur. Jam, si totum, qua late patet, Oceanum spectes, qualitates Dominii longe inde abhorrent. Nam, quis populus, ni universi orbis Imperium obtinuerit, tantis viribus instructus, ut in omnibus Oceani particulis classes habeat, quæ ceteros navigationem exercentes arcere, ac proprietatem conservare valeant? Igitur, dum aliæ gentes libere utuntur, neque repelluntur, hactenus Mare res nullius esse, probe æstimatur.

Pos. VII.

Neque usus maris prorsus exhauriri potest, quum hoc sit nimis immensum. Si igitur aliqua tantum pars adeatur, ceteræ partes apprehensæ minus censentur. Immo Oceanus Septentrionalis, cum ibi frigus immane impediat, aliquatenus usum omnem non patitur. Quod etiam de meridionali recte existimatur, ob solis nimis ferventis incommoda.

Pos. VIII.

Immo nequidem eadem magnitudo Oceani patitur veram possessionis apprehensionem. Sane sola intentio apprehendendi non sufficit, neque portione tam vasti & diffusi corporis adserta, reliquæ a commercio communi segregantur.

Pos. IX.

Ut res proprietati vindicari dicatur, requiritur, ut ea certis finibus sit conclusa. Incerti & infiniti potestas temere fingitur. Terminos maris nemo mortalium unquam cognovit, propterea, quod totum orbem terrarum, cujus nec circumscriptio patet, multis ditionibus nondum detectis, circumeat, atque complectatur.

Pos. X.

Natura cum mare omnibus Gentibus fruendum indulserit, præscriptione, facultas privativa nunquam inniti potest. Equidem Lege Naturali permittente, libera gens adversus alteram regulariter præscriptione, jus vindicare valet. Ast, ut quid præscribatur, opus est continua possessione, eaque, actibus minus interruptis exercita. Sed, postquam natura æqualitatem inter populos servari jubet, contrarius usus præscriptionem facile infringit, sic, ut, etsi possessio adsit, tamen alter illico dejectus censeatur.

Pos. XI.

Romani, qui maximam partem orbis acquisiere, non magis Oceanum solis sibi adserere potuere, quam terras ab ipsis possessas alluit, vel gentes victæ, classibusque destitutæ, usu caruere. Neque toto Oceano usi Romani, cum quoad partem Occidentalem, ultra columnas Herculis non sint progressi, & magis adhuc Septentrionalem nunquam attigerint, ipsis plane ignotum. Quemadmodum ii totum orbem terrarum minus armis subjugarunt, ita multo minus Oceani, qui circumdat, Dominio præditi extitere. Contra, quamvis maxime floreret Respublica Romana, populi septentrionales in libertate Juris Gentium constituti, quamcunque ex navigatione utilitatem percepere.

Pos. XII.

Mediterranei Maris, quod Italiam, Africamque intercedit, usum soli Romani quondam facile adfectarunt, cum omnes ibi sitas insulas possiderent, neque populi eorum imperio haud subjecti, ob commerciorum raritatem, accedere illud mare tum moliti. Quippe illud seculum a commerciis illis communibus mire abhorruit, tum, quod Romani barbaros & peregrinos eos haberent, qui dominatum subire nollent, tum, quod gentibus remotioribus inprimis Borealibus situs regionum ignoraretur, & hæ

hæ mercaturam excolere quoque non dignarentur, quæ omnem potius gloriam & felicitatem ex armorum ſtudio, & militandi peritia metirentur. Quæ ratio, cui adjicias ſitum minus adeo aptum, efficit, ut Germani, de claſſibus ædificandis, & uſu Oceani adrogando, minus laborarent.

Poſ. XIII.

Aſt, quamvis Oceani Dominium negemus, fatemur tamen particulas illi ſubjici. Nimirum, quomodo continenti parto, inſulæ vicinæ ſimul victori cedant, quidni etiam mare alluens proprietatem recipiat? Et ſi omnino qualitates Dominii ad univerſum Oceanum non quadrent, tamen ad partem provinciam circumeuntem prorſus ſpectare intelliguntur.

Poſ. XIV.

Defenſio Dominii Maris tum non ægre ſuſcipitur, ſi quis terram eo circumdatam occuparit. Immo, cum id, quod quæſitum eſt, facile amittatur, ſi omnibus uſque ad fines ultimos progredi liceat, æquum eſt hiſce prohiberi, vel acceſſum, claſſe oppoſita, impediri.

Poſ. XV.

Uſus particulæ Maris ſeſe exſerit verus, quod ſecus obtinere diximus, ſi de toto Oceano quæſtio moveatur. Enim vero portus exſtructi, ſecuritatem utentibus præbent, & uſum promovent, cum ſint particulæ illi maris veluti juncti. Et ſæpe aliquot ſaltem navibus omnia perficiuntur, ubi diſſitæ gentes ſine tota claſſe inanem operam forent ſuſcepturæ. Sane ſi claſſis in medio Oceano conſtituta, maris procellis exponatur, mox iisdem obruitur, cum portus ſecuritate navigantium deſtinati, ſint adhuc valde remoti. Licet etiam interitum effugiat, plerumque tamen navibus hinc inde diſperſis, uſus plane infringitur. Aſt, in mari terræ finitimo, periculum melius evitatur, cum portus haud ægre attingantur, adeoque tempeſtate ſopita, labor ſemel ſuſceptus plerumque ad effectum perducitur exoptatum.

Pos. XVI.

Eos, qui putant, Dominium Maris ad littoris vicini dominium pertinens, usque illuc protrahi, ubi vox ex continente clamantis percipitur, vel sagittæ ictus evanescit, vel sexaginta, aut centum milliaria finiuntur, merito erroris eximii coarguendos esse censemus. Nam possessio Maris haud ex privato hominum instituto proficiscitur, neque ex Gentium moribus, qui varii sunt, & pro conditione ævi immutantur, æstimari debet. Potius, cum natura nullos certos Dominii Maris limites posuerit, eo respicitur, an gens, quæ littori imperat, iis viribus polleat, ut grande spatium adversus incursiones, usum impedientes, tueri, & vim majorem arcere possit.

Pos. XVII.

Neque vero omnis Dominii Maris vis, in potentia, nobis, ac tuitione adæquata collocatur, sed iis littorum dominis, quibus etiam portus idonei desunt, vel validæ classes, illud asseritur. Qua enim sanctione ipsi littori adstringatur, facile indagari potest. Non opus esse putamus, ut ad Juris Romani præcepta confugiamus. Ipsa natura terris mare attingentibus dominium hujus addicit, cum istæ omni invasioni exterorum populorum alias subjectæ forent, neque ullus ditionem quiete gubernaret. Mari ideo regio circumsepta, ut proprietas probe conservetur. Sed is finis non obtinetur, si communem maris usum statuas.

Pos. XVIII.

Neque animum flectunt, quod quidam populi thesin illam de Dominio maris non agnoverint. De Autharito, Longobardorum Rege, narrat *Warnefridus de Gest. Longobard. L. I. C. 33.* illum Freti nequidem Siculi Imperium adfectasse. *Et quia* inquit *ibidem intra maris undas columna quædam esse posita dicitur, usque ad eam equo sedens, accessisse, eamque de hastæ suæ cuspide tetigisse, dicens, usque huc*

erunt

erunt Longobardorum fines. Aſt commonendum eſt, nunquam Longobardos, regiam poteſtatem, uſque ad extremam Italiæ urbem Regium (Reggio) quomodo recenſet *Warnefridus,* exercuiſſe, cum utraque Sicilia tum ſemper paruerint Auguſtis Græcis. Quapropter illi relationi parum fidei tribuimus. Contra Cæſares illi Græci Dominium Maris Siculi ſibi probe vindicarunt, miſſis eo ſubinde claſſibus, quæ barbaros, provinciis inhiantes, reprimerent. Et quamvis aliquæ gentes facultate non fuerint uſæ, negaſſe illico inepte cenſentur.

Poſ. XIX.

Contra, licet veteres Germanos ſpreviſſe Dominium Maris, vel ignoraſſe, ſupra animadverſum fuerit, tamen Franci id omnino ſibimet adſeruere, quemadmodum Carolus M. claſſes optimas exſtruxit, & littoribus Præfectos a Mari inſignitos, conſtituit, exemplum Romanorum imitatus. Romani enim Littorum Præfectos creabant, ex quorum numero Nannetes, quem *Ammianus Marcellinus L. XXVII. C. 8.* *Maritimi tractus Comitem* appellat. Atque *Eutropius in Diocletiano* diſerte ait: *Carauſius mare* NB. *accepit, quod Franci & Saxones infeſtabant.* Concluditur hic juſte ſat, Marchiam Antvverpienſem non ideo prorſus a Carolo M. conditam, ut continens tuta redderetur, magis, ut Maris Borealis (Nord-See) Dominium, contra Anglorum & Danorum molitiones, ſartum tectumque ſervaretur. Maris vero, inprimis Mediterranei, imperium, ſibi attribuiſſe Francici Reges videntur, cum ſub Ludovico Pio, Bernardus Corſicæ Comes memoretur, qui claſſi Regiæ Præpoſitus, (Admiral) Africam juſſu Regio Sedesque Saracenorum adiit hoſce depulſurus, & alias Piratas Italiam petentes aggreſſus fuit.

Poſ. XX.

Poſt Francos, Reges Teutonici, Dominium Maris Balthici, quatenus tangit Germaniam Inferiorem, minus diffeſſi. Ottonem

Ottonem M. lanceæ in extremum mare Cimbricum jactu illud designasse conjicimus ex *Saxone Sialandico L. X.* Nec commovent verba *Saxoni* addita: *Monumenti gratia.* Nam occupatio terræ Cimbricæ monumento non indiguit. Ast apprehensionem possessionis Maritimæ sic innuere dignatus est Cæsar, ut omnes victoris partes probe expleret. Sane tales actus pro transitoriis non sunt habendi. Immo, etsi id haud peractum fuisset, tamen Dominium Maris Cimbrici tum, cum ipsa ditione, Regno Teutonico quæsitum omnino intelligitur. Classem adhibuisse Ottonem, tuendo Dominio non compertum est. Potuisse autem concinnare frustra ambigas, quum incolæ regionis artis hujus sat periti, quod evincunt expeditiones Anglo-Saxonum maritimæ egregiæ, & subacta Britannia. Sed forsan minus necessitas exstructionem classis exegit, terrorem insignem Populis Borealibus, potentia Cæsaris dudum incutiente,

Pos. XXI.

Quantum Normanni ac Dani amplam vasti Oceani partem ad suas ditiones retulerint, neque aliis populis eandem facultatem ibidem partam fuisse existimarint, demonstravit egregie *Pontan. Discuss. Hist. L. II. C. XI. & XXI.* De Anglis & Saxonibus Britannicis erudite differit *Selden. de Mari Claus.* qui tamen patriæ nimis blandiens, & *Alberici Gentilis Advoc. Hisp. L. I. C. 8.* auctoritate commotus perperam universum Oceanum Anglis subjectum, statuit. Equidem Elisabetæ Reginæ exquisitum judicium dogmati huic adversatur, quod promit *Cambden. ad a. 1580.* Ac Jacobum, Magnæ Britanniæ Regem, Regni sui limites marinos publico Edicto distinxisse ab aliis, Germaniæ quoque, inque primis Bataviæ vicinia, commonuit *Conring. de Fin. Imp. L. II. C. 30. §. 8.* Quod *Alberico Gentili* itidem tantisper agnitum fuisse, *cit. l.* constat. Neque contentio inter Anglos & Batavos orta, de quo Principio disseruimus, totum Oceanum respexit, saltem Dominium Maris, quod littora Britannica attingit, cum Batavi maxime pro libertate naturali pugnarint, ac tantum captura halecum, quæ alibi in Oceano frustra exercetur, bello ansam præbuerit.

Pos. XXII.

Pos. XXII.

His in genere de Maris Dominio expositis, jam temere quispiam ambigat, Mare Adriaticum proprietatem pati. Illud sane, licet sit longe inter Italiam & Dalmatiam, quæ Regna disjungit, porrectum, & versus Moream Græciæ partem ac celebrem Chersonesum, seu Pen-Insulam, Mediterraneo connectatur, magis Dominio subjici posse intelligitur, quum terris adjacentibus veluti concludatur, ita, ut Freto cuidam haud inepte comparetur. Freta autem facilius custodiuntur, ac usus maris communis tollitur, quam, sicubi regio libere Oceano adspergatur. Equidem non ignoramus, Freta illa Gaditanum, Siculum, Oresundam (der Sund) alia arctioribus finibus contineri, ac Mare Adriaticum. Neque tamen a Freti indole hocce nimis abhorret. Immo natura videtur illud eapropter ab Oceano immenso discrevisse, ut utilitatem accolarum, non exterorum quorumlibet pariat.

Pos. XXIII.

Mare Adriaticum Imperio Romano paruisse, sat habemus compertum. Et, quum omnem Italiam, Dalmatiamque portionem Pannoniæ rexerint, uti Romanorum aquæ ductus, hic, inscriptionum, circorum, columnarum, marmorum, lapidumque ruinæ evincunt, dominatus maritimus, plenus, nec perturbatus, probe colligitur. Classes in eo mari Romanorum veluti perpetuæ, ut varias gentes vicinas, Græcos præsertim, in officio perenni retinerent. Insulæ quoque ibidem conspicuæ ad Romanos pertinuere, quæ licet dominium maris non coarguant, cum habeantur hujus potius accessio, veluti filia matrem sequitur, minus præcedit, tamen probationem adjuvant.

Pos. XXIV.

Imperio Romano in Orientale, & Occidentale discerpto, Dalmatia, cum reliqua Græcia, & vicinis Hungariæ Hungariam versus ditionum, Orientali adjecta, ac diu sat Cæsaribus Byzan-

 tinis

tinis paruit. Dominium autem Maris Adriatici tum veluti Dalmatiæ cohærens, una ad eosdem migravit, cum istud ad conservandam melius regionem necessarium fuerit judicatum. Atque Italiæ Possessores, Imperatores Occidentales, non eo nimis indiguere, cum istud Regnum, qua Adriatico alluitur, alioqui sat munitum esset. Immo, cum Insulæ ibidem sitæ, & in ipso confinio Italiæ & Græciæ, ubi Oceano illud Mare jungitur, positæ divisionis forma jubente, de qua agunt *Zosimus*, *Sozomenus*, alii; Orientalibus accesserint, tanquam continentis portio, quis de ipso Maris Dominio jam dubitet? *Vid. Pos. anteced.*

Pos. XXV.

Classes quoque Græcorum Cæsarum eo missæ, Dominium sat adseruere, cum e contrario Occidentales nunquam id adfectarint, aliis curis, quas irruptiones tot barbararum gentium impresserant, distenti. Classes igitur potius ibi habitæ, ubi Provinciæ contra exteros hostes defendendæ fuerant. Et si quandoque in Adriatico navigationem exercuissent, id peractum est, integra Byzantiorum facultate, quos lacessere nefas, illi duxere auxilium forsan ipsis præstituros.

Pos. XXVI.

Heruli dein, Gothi, Franci, aliique populi Italiæ oras aggressi, Dalmatiam non raro licet diripuerint, tamen eam neque occuparunt unquam, neque injusti piratæ Dominium Adriatici minus potuere vindicare. Neque istud sine Dalmatiæ ipsius possessione retinere valuissent, conatibus quoque irritis, cura Cæsarum ac potentia, redditis.

Pos. XXVII.

Slavi Seculo VI. Pannoniam invadentes, Dalmatiam, cum finitimis una regionibus cœperunt incolere. Neque defuit consensus Cæsarum Byzantinorum, qui ea lege terras reliquere barbaris, ut fidem exhiberent ipsis perpetuam. Conf. *Constantinus Porphyrogennetus C. 30. 31. 34.* Discutere minus velimus, annon

tanta

tanta Græcorum facilitas, allicuerit reliquos barbaros, ut postea pro lubitu Imperii Romani ditiones justis dominis eriperent? Liquet tamen Venetos, maritimas Dalmatiæ urbes nequaquam parasse. Cum ceteræ Pannoniæ regiones, alias appellationes sortitæ essent, Dalmatiæ tamen remansit, atque ita usquedum designantur ditiones, quas Mare Adriaticum attingit. Sed Dominium Maris Adriatici pariter ac Dalmatiam in supremo Cæsarum Orientalium ac proprietate perstitisse. Sane Insulæ nunquam Venetis quæsitæ, neque ii classibus fuere instructæ artis nauticæ expertes. Et semper classes Byzantinorum ex vicina Græcia profectæ, Adriaticum, adversus incursiones aliorum barbarorum tuitæ. Deinde Exarchatu, post eversionem Imperii Occidentalis, Ravennæ constituto, qui plerasque urbes maritimas, & portus versus illud Mare sitos complectebatur, adhuc magis Dominium conservarunt.

Pos. XXVIII.

Francis Italiæ Regnum sibimet vindicantibus, & Longobardis a Pipino invasis, a Carolo M. prorsus subactis, teste ***Eginbardo in Vit. Car.*** ii tamen ac Carolus Imperator, licet simul Exarchatum jam ab Histulpho, Longobardorum Rege, a. 752. extinctum & Regno additum, acquisiisset jure belli, Dominium Maris Adriatici Dalmatiæ, immo etiam partim Græciæ eo tempore, inuexum, Orientalibus non abstulere, quibus nec Insulæ ademtæ. Quin potius idem Carolus Græco Augusto, non adeo ejus inimico, amico magis, civitates illas maritimas Dalmatiæ ultro addixit. ***Eginbard. in Vit. Car.*** Calabria etiam & Apulia illius dominatui relictis. ***Sigon. de Regn. Ital. L IV. pr.*** Interim commonendum est, falli ***Coccejum Jur. Publ. Prud. C. VI. §. 13.*** qui putat, Salorum jus Imperii Græcis in Exarchatu retentum. Nam semel quæsitus is fuit jure belli Longobardis, an recte? non disceptemus. Ast, qui vincit, in omnia jura populi subacti succedere intelligitur. Neque id impedit nostram sententiam, cum Exarchatui non inhæserit Dominium Maris Adriatici. Adeoque

que tota res ad præsentem commentationem proprie non pertinet, cum nec *Coccejo cit. l.* de Dominio Maris Adriatici, potius de Donatione Pipini Pontifici facta, disquiratur.

Pos. XXIX.

Quamvis autem Slavici illi in Dalmatia Reguli, ab Imperio Orientis discessuri, Francorum potestati ultro semet subdiderint, tamen Græcis Imperatoribus maritimæ civitates, neque Dominium Maris Adriatici ademta. Neque ea discessio jure suscepta fuit, immo magis venerati sunt Veneti isti nomen Francicum, quam vero nexu clientelari isti populo addicti. Quicquid demum extiterit, mox Ludovici I. filiis Regnum dividentibus, immo ipso etiam Lothario portionem acceptam dissecante, Slavi ad Byzantinos Cæsares sponte reversi. Neque dein unquam Francis iterum paruere, quorum potentia interitu stirpis Carolingicæ ubique erat imminuta.

Pos. XXX.

Cum Orientales Cæsares variis bellis peterentur, Slavi Reguli non diu in eorum clientela perstitere, sed potius sibimet in ditionibus istis suprematum quendam adrogarunt. Cœpere enim titulo: Dei Gratia, uti, quod proprii dominatus insigne semper apud gentes existimatum fuit. Ita Murcimer, Croatiæ Dux literis & Diplomatibus inseruit: ***Murcimer divino munere JUCATUS Dux Croatiæ.*** Postea, quum hucusque Duces audiissent Reguli illi, Cresimerus Seculo XI. Croatiam, Dalmatiamque jungens, nomen Regale beneficio Cæsarum Orientalium nactus fuit, uti colligitur ex *Thoma Archi-Diac. Hist. Salonit. C. XIII. p. 320. ad a. 990.* Quo quidem facto, tacite exemtus tum fuisse Cresimerus censetur a vinculo omni, cum Regiæ dignitatis concessio renunciationem aliquam satis innuat. Licet non nimis diffiteamur, propria voluntate Regium nomen sibi forsan attribuisse eosdem, commovente forsan Pontifice, qui Dalmatas ideo a Cæsaribus Græcis & horum Imperio avellere moliti,

moliti, ne, Romanis jam tum addicti, Græca amplecterentur. Neque tum quoque facultatem Reges creandi usurpare destitisse Papam, constat ex *Baronio Annal. T. II. ad a. 1076.* ubi Diploma ex Codice Vaticano, quod annon fictionis nota laboret, hic definire minus vacat.

Pos. XXXI.

Quocunque verum modo ad fastigium Regale evecti fuerint Dalmatiæ Reguli, illud quidem constat, ipsos, cum quoque maritimas urbes occuparint, ad Græcos olim spectantes Dominium Maris Adriatici sibimet vindicasse. Nam Cæsares Orientis parum metuebantur, quorum vires indies decrevere. Derelictionis tacitæ speciem arguit, cum conatus Regum non suppresserint, magis jus suum non urgentes, acquieverint. Et nil interest, an Dominium directum pariter ac Imperium integrum mansisse statuas, sed quod universis effectibus, commodisque caruerit. Illud quoque desinere, ubi potestas tuendi vasallum aut subditum, vel ad obsequia adigendi, deficit, inter gentes usu sat invaluit. Ideoque Romani, qui aliis Provinciis, inprimis Britanniæ, contra peregrinos hostes, v. c. Anglo-Saxones auxilia requisiti, viribus exhaustis, denegarunt, jure suo exciderunt, & adquisitio illorum ab omni iniquitate, si hancce rationem consideres, ac morem populis semper observatum, utique abhorruit.

Pos. XXXII.

Venetorum Respublica Seculo XI. plurimas Dalmatiæ urbes maritimas justis possessoribus eripuit. Nescimus, an jure ea occupatio subnixa fuerit? Id tamen constat, Dalmatiæ Reges tum nullam belli causam subministrasse. Neque isti, licet initio non restiterint, extortionem violentam adprobasse videntur.

Pos. XXXIII.

Ea mente autem, partem Dalmatiæ, a Mari Adriatico tractam sibi adseruere, Veneti, ut istius Dominium adquirerent.

 Sed,

Sed, licet cuncta probe fuissent parta, tamen particulæ illi Dalmatiæ maritimæ nunquam innexum Maris Dominium. Potius apud illos, qui universæ Dalmatiæ imperabant, facultas debuit persistere, quam aliquot urbium possessio ab exteris occupata minus infringere potuit.

Pos. XXXIV.

Equidem Veneti titulo Dalmatiæ tum cœpere uti, neque Cæsares Byzantini ausui renisi. Ast ea res Dalmatiæ Regibus nil obfuit, quorum jus, cessio ab Imperatoribus forte in Venetos peracta haud valuit tollere. Immo, licet consensus ille, de quo Annales Venetorum *Danduli*, *Justiniani*, aliorumque multa jactant, vi sua non esset destitutus, & vere interpositus, ad Dominium Maris Adriatici haud porrigi debuit. Ex appellatione nimis generali, nec quæ ipsi objecto respondet, vix aliquid certi elicitur.

Pos. XXXV.

Hungariæ Rex Ladislaus, circa annum 1090. Croatiam & Dalmatiam adquisivit, Colomannus vero jura firmavit, atque Dalmatas defectionem molientes, ad ordinem redegit. Qua ratione explicandi sunt *Thom. Archi-Diac. Hist. Salonit. C. 17. Lucius Hist. Dalmat. L. III. C. 4. p. 115.* qui alias cum *Joh. de Thurocz. Hist. Hung. C. 57.* minus convenire videntur. Atque proin Imperium Adriatici Maris itidem hic comprehensum fuit.

Pos. XXXVI.

Ipsos autem Venetos intellexisse dominium isthoc ad Dalmatiam eamque totam, seu Regnum Dalmatiæ spectare, neque inde avelli posse, patet ex *Formula Pacis a. 1358.* cum Ludovico Hungariæ Rege, initæ, qui armis istos, locis maritimis, injuste olim ereptis nuntium mittere, coëgit. Plane verba ibidem: *Totum ipsorum jus* NB. *& dominium, & proprietatem, quod habuissemus in ipsum Regem & Successores*

fores suos &c. non obscure innuunt, haud tantum terram continentem & portus, sed etiam Imperium Maris, hactenus usurpatum temere, jam, postliminio veluti, ad Hungariæ ac Dalmatiæ una Reges rediisse.

Pos. XXXVII.

Tum vero Hungariæ Reges Dominium Maris acriter tuiti pariter ac ipsam terram, cui cohæret. Nec moliti adhuc Veneti quicquam, facultatem illorum Regum suppressurum. Idcirco, quum, eo tempore, quo nil ditionis in Dalmatia ipsis partum, Imperium Dalmatis lubenter reliquerint, patet, ipsos agnovisse, non alium, nisi universæ Dalmatiæ Dominum, istud sibimet æquius vindicare.

Pos. XXXVIII.

Equidem libera navigatio a Regibus Hungariæ non fuit denegata, sed inde frustra infertur, usum Maris Adriatici vel promiscuum extitisse, aut Dominium Reipublicæ Venetæ adscriptum. Nam alia disquisitio foret, an non potuerint Reges arcere Venetos, aut navigationem interdicere? Proprietas fundi salva manet, licet plures ibidem commorari, vel permeare soleant. Proprietarius, cum non interdixerit, quod utique licebat, omissionis pœnam non incurrit. Tacita potius concessio tali casu subest, quæ ad modum precarii semper revocatur, & adeundi facultas recte intervertitur. Vel, si tempus legitimum adsit, nil amplius, quam jus servitutis alter consequitur, quod dominium nequaquam aufert. Respublica Venetorum longo usu, eoque minus interrupto forsan servitutis facultatem in Mari Adriatico adepta tunc est, quæ tamen ita capienda est, ut neque Dominium hinc conjiciatur, nec Imperium Dalmatiæ Regum simul exercendum temere negetur. Nimirum servitutis in mari expresse, vel tacite alicui populo constitutæ indoles, a communi valde differt. Dalmatiæ Reges cum tamdiu sine interpellatione una usum reliquerint Venetis, in id censentur consensisse, ne servitus,

ſervitus, vel fruendi jus debeat adimi. Aſt facultatem privativam prouti ſervitutem privatæ definiunt leges, nequaquam illico concesſerunt. Difficilior protinus eſt adquiſitio juris ſervitutis in re, quæ Imperio populi ſubeſt, quam in ea, quæ dominio privati includitur. Et ipſum quondam exercitum Imperii, Dalmatiæ Regibus ſuſceptum, tale quid excludit. Quæ ratio efficit, ut conceſſionem precariam magis ac ſervitutem tutius ſtatuamus, quamvis iſtud non ſemper fuerit continuatum. Ipſa quoque facultas privativa, ſi adeſſet, variis modis ceſſat, aut certe interpolatur, v. c. tempore neceſſitatis.

Poſ. XXXIX.

Neque Con-Dominium vel Co-Imperium Venetis ſcite tribuitur. Proprietas duobus nunquam in ſolidum accedit. Sane quid ſibi velit Condominium? fruſtra deſignatur. Si quemvis Maris Imperium adfectare poſſe ſtatuas, tandem illud in communionem primævam, quæ omnem propriam facultatem reſpuit, degenerabit. Dominium inutile ac directum, proprietatem & uſumfructum prope diſpeſcitur. Aſt æqualem partitionem ab ejus indole abhorrere, cum metuenda alioquin ſit quædam colliſio, facile animadvertitur.

Poſ. XL.

Non pauci, inprimis *Strauch. Diſſ. de Imp. Mar. C IV. §. 2.* arbitrantur, Venetos Dominium Maris Adriatici ideo ſibi valere adrogare, cum in Inſulis quibusdam, ibidem ſitis, urbem condiderint. Sed, ſiquidem veritatem prodere liceat, fateamur neceſſe eſt, Venetos, cum in Mari Adriatico, Attila Hunnorum Rege, vicinos Dalmatiæ, vel ipſos Dalmatas, vigente, ſedem fixerint Inſulis occupatis, non Dominium maris quoddam nactos, ſed jurisdictioni & dominatui Romanorum, quibus Adriaticum dudum paruerat, fuiſſe ſubjectos. Inſulæ quidem, quas cœperunt incolere, hucusque vacuæ aut deſertæ. Nihilominus ratio ipſamet jubet eum, qui mare dirigit, cunctas inſulas ibi conſpi-

conſpicuas pertinere. Immo Veneti non propria auctoritate, in locum, qui ſecuritatem adverſus barbaros polliceretur, tranſiere. Magis conniventibus Cæſaribus res peracta fuit. Par huic negotio documentum de Cattis memorat *Tacit. de M. G. C. 2.*

Poſ. XLI.

Venetiæ paruere Imperio Romano Occidentali, usque dum hoc prorſus interiiſſet. Poſtea non Gothis, aut Longobardis, qui maximam Italiæ partem ſubjugarant, magis Græcis Cæſaribus, fuere ſubjectæ. Nam in horum poteſtate ipſamet Roma ſemper, & omnes ferme portus ac civitates, quas Adriaticum mare alluit, perſtitere, Exarchatum conſtituentes Dalmatiam, itidem dominatum Byzantinorum agnoviſſe, commonuimus. De Inſulis in Adriatico ſitis igitur fruſtra ambigitur, quin heic ſimul fuerint apprehenſæ. Et iſtas, ubi urbs, cujus tum tenues adhuc vires & parva auctoritas condita, nullibi exemtas, legimus.

Poſ. XLII.

Francorum Reges, Pipinum & Carolum M. nunquam Venetias ſibi attribuiſſe, ſed conventione cum Orientalibus celebrata, hiſce reliquiſſe Annalium Francicorum perſpicua fide habetur exploratum. Navali quidem prælio Pipinus, Caroli M. filius paternis auſpiciis domuit a. 810. Aſt Annales illi reſtitutionem Græcis factam ſic memorant: *Venetia reddita eſt.* Unde colligitur, antehac Byzantinos urbi illi imperaſſe. Vid. *Conring. de Fin. Imp. L. I. C. 2. §. 9. & C. 11. §. 2. ſeqq.* Miramur ſane, qua fronte, ſcriptores rerum Venetarum, audeant adfirmare, Pipinum non cuncta urbis ſubegiſſe, magnam viciſſim ſtragem, a Venetis, perpeſſum, nec pactione iſta, Conſtantinopolitano, redditionem perfectam, potius diſertis verbis cautum eſſe, ut Veneti, inter utrumque Imperium, orientale & occidentale, poſiti, liberi atque immunes, & ab utroque ſecuri viverent. Ea enim antiquiſſimorum monumentorum narrationi adverſantur, immo vel riſu explodenda ſunt. An Venetiæ jam eo

tempore ſic excreverint, ut non potuerint omnes partes in poteſtatem redigi? Utrum ea poteſtate inſtructa fuerit civitas ſenſim emergens, ut Francis ubique victoribus ſeſe objecerit, ac ipſos repreſſerit? An Byzantini, tum nondum debiles effecti, ſuſtinuerint, ut urbs in proprio illorum mari, ac pridem dominii jure quæſitis inſulis exſtructa, ſuprematum quendam, omni ſpreto peregrino regimine, conſequeretur? Adeo iſti Auctores, affectui indulſere, ut neque Annales, nec rationem, vel conditionem ævi ſcrutarentur. Immo pugna navalis, cujus mentio nobis injecta, non tam cum Venetis, quam Græcis habita, qui auxilia illis, adverſus Francorum injuſtam ſat irruptionem, tanquam ſupremi Domini, & Defenſores, miſerant.

Poſ. XLIII.

Venetiæ Byzantinis deinde, certa facultate hiſce parta, ſubfuere. Atque Dominium illud, Dalmatiæ innexum, utputa cui Imperium Maris Adriatici inſertum eſſet, Urbs, acceſſio principalis, nimirum maris, ſubiit ſortem, ac pari jure æſtimata fuit. Neque tum auſi Veneti, claſſes ædificare, ne dum alia inſignia Dominii, in Mari Adriatico, uſurpare.

Poſ. XLIV.

Venetis autem ad majores opes evectis, & potentia Græcorum Imperatorum indies imminuta, cœpere iſti ſuprematum, quo hucuſque gentium conſenſu pollent, adfectare. Mox de ipſo Maris Adriatici Imperio comparando cogitarunt. Ergo, ut finem propoſiti attingerent, maritima Dalmatiæ loca, vi rapuere, ſic, ut tum, tacite veluti confeſſi cenſeantur, ſine Dalmatia illud temere vindicari.

Poſ. XLV.

Dalmatiæ Reges, Hungariæ una imperantes, ipſam Venetiarum urbem, dominiis ſuis adſcripſiſſe, diſerte non conſtat. Attamen, omni jure, iſtud ſuſcepiſſent, quum eandem facultatem,

tem, quæ Græcis Cæsaribus competiit, ad ipsos transgressam, taciturna quadam Dalmatiæ & Maris Adriatici cessione, merito intelligamus. Interim, licet libertati Venetorum annuerint Reges, Imperium nihilominus Maris sibi reservarunt. Nam renunciatio omnis stricte capienda est, quocunque demum modo perficiatur.

Pos. XLVI.

Ast hic non inepte disquiritur, annon Veneti, præscriptione quadam, Dominium Adriatici Maris adepti fuerint, vel longæva consuetudine? Putat quidem *Grotius de Mari Libero C. VII.* præscriptionis naturam a mari longe abhorrere. Vix tamen est, ut ejus sententiæ accedamus, utputa cum totum dogma, de communione quadam aquarum conceptum, ratione idonea haud fulciatur, uti supra innuimus. Si ergo proprietatem capere, existimemus, mare, concedamus par est, præscriptionem, causam constituendi, vel amittendi, aptam præbere. Præscriptionem immemorabilem Jure Gentium nimirum moribus introductam, dominia rerum transferre, ipse *Grotius* fatetur *de Jur. B. & P. L. VI. C. 4. §. 9.* Quidni etiam mare, utputa quod rem sequitur, & pro accessione terræ continentis, illo attactæ, juste habetur?

Pos. XLVII.

Requiritur vero ad talem præscriptionem inprimis, ut possessio sit continua, & quæ nunquam fuerit interrupta. Id Leges Civiles itidem sancivere. Jam Venetam Rempublicam nullo ævo perpetuam facultatem, quæ ad Dominium conservandum sufficeret, exercuisse, ostendere, instituti exigit indoles.

Pos. XLVIII.

Venetos, in Mari Adriatico sæpius navigasse, cum classes subinde, tam ad auxilia, Christianis, Palæstinam Saracenis erepturis, præstanda, adversus Januenses, quibus cum plures iis agitatæ acerrimæ lites, cruentis, utriusque populi, cladibus,

 protra-

protractæ magis, quam ſopitæ, tum quoque commerciorum gratia, migrarint, nemo ignorat, & Annales abunde commemorant. Sed navigationem liberam Dominium maris haud infringere, dudum probavimus. Deinde Græci Imperatores, aut eorum Succeſſores in Regno Dalmatiæ, Hungariæ Reges, quamdiu portus retinuere, claſſibus non fuere deſtituti, ſaltem poteſtas eas conſtruendi ſemper intemerata perſtitit.

Poſ. XLIX.

Poſtquam Veneti autem portus Dalmaticos occuparunt, poſſeſſio videbatur melius confirmari. Verum præſcriptio plene interpellata ac extincta cenſetur, ſimulac Ludovicus, Hungariæ Dalmatiæque Rex, ſolemni pactione, quam *Poſ. XXXVII.* recenſuimus, cuncta reſtauravit, & in priſtinam conditionem reſtituit.

Poſ. L.

Maxime vero jus Dominii Maris Adriatici, ex donatione Pontificis Alexandri III. arceſſere Veneti ſolent. Ubi præmonendum eſt, ipſos veluti largiri, Imperium tale, ante conceſſionem, ad ſeſe minus pertinuiſſe. Nam ſicubi prius obtinuiſſent, donatione indiguiſſe vix cenſentur. Deinde iſta donatio ficta magis exiſtimari debet. Sane Annales coævi ejus memoriam haud conſignarunt, &, qui narrant, recentiori ævo vixere, nec alio documento, quam incerta fama, vel inveteratis fabulis ſubnituntur. Alexandrum III. Papam Venetiis diu commoratum fuiſſe, Friderico I. Cæſare profligante, conſtat. Sed donationem quandam maris tum perfeciſſe, aliquo Diplomate, vel rerum monumentis, nondum probarunt Veneti. Igitur totum negotium quemadmodum alia, *Friderico I.* inſultantes, & Papæ partibus addicti Itali, temere excogitarunt ad commenta anilia merito refertur.

Poſ. LI.

Quidſi tamen evincerent Veneti, largitionem Pontificiam fuiſſe perfectam, neque illud nimis ipſos juvabit. Nam diſpi-

dispiciendum jam est, utrum Pontifex donare potuerit? Equidem ipsi, qui Romano-Catholicam Religionem profitentur, & omnia a nutu Papali pendere autumant, Papam nihilominus dominum civilem, aut temporalem orbis, intrepide negarunt. Provocat ad eosdem *H. Grotius de Jure B. & P. Mar. Lib. C. III.* Nusquam probatur quippe, Christum hancce potestatem Petro, vel Episcopis Romanis indulsisse. Et, quamvis Vicariatus manifesta concessione esset suffultus, iste nihilominus eo tempore porrigitur, ut Papæ, Dominium populo legitime partum, ad alium liceret transmittere. Nam si facultas illa, qua Christus pollet, atque eminet, Vicariatu comprehenderetur, nulli terrarum Domini possessione sua tuto fruerentur. Nec feloniæ species recte prætenditur, cum *Fridericus I.* quem persequebatur *Alexander III.* Dalmatiæ non imperarit. Potius Hungariæ Dalmatiæque tum Reges liti sese non immiscuere.

Pos. LII.

Alexandrum VI. Papam Americæ occupationem Hispanis & Lusitanis relinquere, vel regiones alienas distribuere valuisse, nemo, qui æquitati & veritati studet, adfirmabit. Ipsos barbaros, insolenter victos, ausum risu explosisse, constat. vid. *Puffendorfs* Einleitung zur Historie. *P. IV. p. m. 941.* Quomodo igitur imperium vel jurisdictionem Maris Adriatici, quod ante sibi non adserere conati Veneti, adscripserit Romanus Antistes? Quum Dalmatiam Regibus Hungaris non eripere debuerit Papa, & Venetorum adjicere dominatui, nec mare illi annexum ac perpetuæ accessionis territorii instar habitum, ulla donatione ad Venetos transiisse, probe colligitur.

Pos. LIII.

Sed, quidsi ostendatur, Mare Adriaticum ante donationem nemini paruisse, vel a qualibet abhorruisse proprietate, aut, ex Grotii hypothesi aquas dominium respuere? Tum Pontifici nequidem libertatem navigandi infringere, & inconsultis Dalmatiæ

 Regibus,

Regibus, addicere Dominium Venetis, data licentia intelligitur. Ut gens a communione maris, qualem exiſtere contendit *Grotius*, excludatur, prærequiritur Imperium Univerſale totius orbis, & poteſtas ceſſionarium tuendi. Quis autem quæſo id Pontifici unquam tribuerit? Immo, præſtructa ejusmodi communione, Papa, cujus terras itidem mare Adriaticum alluit, & cujus ditionem, portus illud attingentes, cingunt, male rebus ſuæ Eccleſiæ conſuluiſſet, cum Venetos tanto beneficio mactarit. Pontificem vero ſedis Romanæ jura fruſtra atterere, commonuere paſſim Canonici Juris Interpretes. Vid. *id. Grot. de Mar. Lib. C. VI.*

Poſ. LIV.

Quid demum ipſi Romani Pontifices, Alexandrum III. ſecuti, de hacce donatione ſenſerint, facile perſpicit, qui non ignorat, aliquando Papam a Legato Veneto Tabulas rei quæſiviſſe, fruſtraneo eventu. Hic enim ipſemet confeſſus fuit, ibidem eas extare, ubi Tabulæ Donationis Conſtantini M. tam celebris ſint reconditæ, quas nec *Baronius*, nec ullus alius privilegiorum ſedis Apoſtolicæ induſtrius indagator hucusque reperit, nunquam ſane reperturus. Equidem quotannis Aſcenſionis Chriſti die, ſolemni ritu jactu annuli, Dux Venetus (Doge) Nobilibus circumſeptus nomine totius Reipublicæ ſponſalia veluti cum Mari Adriatico ſolet celebrare. Quo negotio Dominium magis firmari & retineri autumant. Aſt ſponſalia iſta imaginaria nil efficiunt, ſic, ut Dalmatiæ Reges nequidem opus fore proteſtatione vel contradictione, pridem merito judicarint.

Poſ. LV.

De præſcriptione, quam cauſæ ſuæ mirifice conſulere arbitrantur Veneti, ſupra jam expoſuimus, ac temere illam, juri Dalmatiæ Regis infringendo huc revocari, comprobavimus. Illud ſaltem adjiciendum eſt, haud præſcribi poſſe acceſſionem, ubi principale ab alio poſſidetur. Acceſſionem vero talem præſtruimus,

mus, quæ a principali suo frustra divellitur. Tunc plane, licet nemo interpellet, principale ipsum, præscribere molientis conatum elidit. Mare terram alluens, illi cohærere ita, ut separari inde nequeat, facile constat, & pridem nobis ostenditur. Quomodo igitur, sine Dalmatiæ universæ possessione, Mare Adriaticum, istius accessionem, sibi valuere tribuere Veneti, qui, etiamsi partem regionis eripuissent Regibus, nunquam titulum adfectarunt, potius illorum amicitiam lubenter aluere.

Pos. LVI.

Siquidem autem concesseris, præscriptionem qualitate objecti minus impediri, neque id Venetos juvabit. Nam cum bona fides, ad præscriptionem liberis gentibus adhibitam, muniendam, itidem prærequiratur, consequitur malam fidem, quamvis tempus memoriam excedens adsit, nil præsidii suggerere. Equidem *Vasquio* scite obloquitur *Grotius de Jur. B. & P. L. II. C. 4. §. 1. seqq.* usucapionem inter duos populos liberos locum non habere existimanti. Attamen liquet, præscriptionis limites strictius esse tum constringendos. Plus enim est, regionem, vel maris insignem portionem acquirere, quam prædium, aut rem aliam, dominio privatorum ordinario subjectam. Ergo quoque bona fide magis omnia peragi debent. Veneti autem non ignorarunt, Adriaticum Mare ad Dalmatiæ Reges spectare, præsertim demum, cum ab eo ævo dominium usurparint, quo Dalmatiæ oras maritimas nanciscerentur. Vitium autem ejusmodi cujuscunque seculi lapsu haud corrigitur, nec prius purgatur, quam si dominus verus facultatem suam diserte resignet, vel res titulo certiori & honestiori comparetur. Abdicasse autem Dalmatiæ Reges suo semet jure, aut modum aptiorem pro Venetis pugnare, antea probe sat negavimus.

Pos. LVII.

Consuetudinis eadem, quæ præscriptionis, deprehenditur forma. Etiamsi illa, legitime præscripta, producat juris effectum inter

inter privatos, id tamen non pertinet, nec accommodatur probe ad populos liberos. Venetis usum Maris Adriatici vix denegamus, quem pridem acquisiere, annuentibus Dalmatiæ Regibus, vel haud renitentibus. Sed longe distat simplex ususfructus quidam, a Dominio aut jurisdictione. Consuetudo Venetis facultatem certe navigandi libere peperit. Hæcce vero ab ista potestate minus arcere valet, quibus Imperium merito adseritur, terræ seu Regno perpetuo insertum. Atque si fateamur, gentibus consuetudinem, pariter ac præscriptionem, parandi modos, adhiberi posse, existimemus simul, ob causas jam proditas, acquisitionem Regionis sic plane contingere, non item maris.

Pos. LVIII.

Hactenus, puto, abunde probatum est, nullo titulo, dominii transferendi sive causa, Venetos pollere, quæ Dominium Adriatici addicat. Verum, annon bello domini evaserint? Neque id liquet. Nunquam de Dominio Maris cum Dalmatis conseruit manus Respublica, cum potentiam Regum, qui toti Hungariæ una præerant, præsertim revereretur. Felicem sat sese putabat, siquidem relinquerentur quidam portus Dalmatici ac exercitium maris. Ista enim destituta, commerciis caruisset, quæ maximum Venetias ditarunt. Et quis arbitretur, Venetos Dominium Maris Dalmatis extorquere, vi armata fategisse, quum ditiones, quas possident, Dalmaticas ista ratione occupare nec moliti fuerint, singulari Regum & populi benevolentiæ, vicinorum commoda utcunque provehentium debitas.

Pos. LIX.

Tentarunt quidem Veneti, præsertim ***a. 1615.*** per vim belli, mare Adriaticum sibi reddere proprium, absque ullo vero effectu. Id vero, ut eo magis patescat, veram atque fidelem, ejus tentaminis delineationem, prouti Historici eandem pro fide sua tradunt, huc exhibere, operam dabimus. ***Anno*** quidem ***1615.*** bellum inter ***Ferdinandum II.*** gloriosissimæ memoriæ Cæsarem & Venetos

Venetos est ortum. Origo vero totius dissidii hæc omnino erat: Habitabant in finibus Croatiæ Uscoci, (de quibus conf. *Amelot de la Houssaye in Hist. Venet. P. 3.* quæ tota de populo hoc agit.) Hi non solum in terras Venetorum irruptiones faciebant frequentes, sed mare quoque Adriaticum piraticis infestabant sceleribus. Inde coacti fuerunt Veneti, *Ferdinandi II.* implorare auxilium. Quare per legatum ad Cæsarem missum de hac Uscociorum injuria maximopere sunt conquesti, atque abolitionem illarum ab Uscocis hostilitatum exercitarum, ea, qua par est reverentia, atque pietate efflagitarunt. Cæsar Religiosissimus sane, justitiæ atque æquitatis observantissimus, confestim pronas ipsis facilesque præbuit aures, eique, cui castellum, urbis *Seniæ* valentissimum, tuendum traditum, in id dedit mandata, ut de gravaminibus Venetorum, quam sollicite inquirat, eaque exacte perpensceque examinet. Cum vero hic in exequendis optimi Cæsaris mandatis prorsus existeret negligens, & quæ imperio auspicioque *Ferdinandi* debebant inquiri vexamina, destitueret inchoata, ac irrecordabili deperderet oblitteratione; statim Veneti sub hac simulatione, hocceque colendi occasionem dudum exoptatam sunt amplexi, jam longe antea id machinati meditatique, ut potestatem atque vires Domus Austriacæ in dies magis magisque increscentes infringerent atque labefactarent; atque Uscocos non terra marique solum hostiliter sunt aggressi, sed agmen quoque urbi, cui nomen est: *Forum-Julium* (Friaul) infuderunt. Immo & oppidum *Gradisca* obsidione cinxerunt, quam vero *d. 28. Mart. 1616.* ob fortissimam inhabitantium defensionem derelinquere cogebantur. Graviter vero hæc Venetorum violenta tentamina sunt accepta, omnisque eorum spes mox in irritum cecidit, tum, cum non Uscoci solum maxima ipsis injungerent detrimenta, sed classis quoque Neapolitana circumundique eos circumcingeret. *Piasez. p. 303. le Vass. l. XI.* Tandem vero per amicabilem Regis Hispaniæ *Philippi III.* compositionem certæ pacis conditiones *Mantuæ Carpetanorum* (Madrid) sunt consignatæ, quas quidem Veneti prima facie accipere atque compro-

 bare

bare renuebant; postea vero *Ludovicus XIII.* Rex Galliæ, eas Lutetiæ Parisiorum *d. 6. Septembr. 1617.* efficaces validasque reddidit; ac etiam *Anno 1618.* ab utraque parte confirmatæ sunt atque ratæ factæ; ac potissimum eo directæ, ut quælibet pars alteri vi erepta restitueret. Uscocis vero simul latrocinia maris prorsus sunt interdicta, *Senia*que, Uscociorum principale Castellum præsidiis Germanicis fuit instructa. *Merc. Gal. Belg. T. XII. L. I. Vittorio Siri Memorie recondite T. IV. Nani Hist. Venet. L. III. le Vassor. L. XI. Recueil. T. III. Ludolph. L. XVII. Londorp. T. I.* Cæterum adhuc commonendum, quod in *Lünigii* Staats-*Consiliis*, Nobilis cujusdam Veneti consultatio, totum illud concernens bellum *p. 937. pag.* vero *956.* Purpurati *Clesel* sententia de eadem materia reperiantur. Sic & *Mayer. in Londorp. Suppl. T. II.* in medium adducit relationem quandam, quæ Venetorum laudes valde detrectat. Adde *Puffendorf.* Einleitung zur Historie *P. III. p. 52. sqq.* qui faciem illorum temporum fuse tradit.

Pos. LX.

Nulla vero jamjam prolata ulteriori indigent delineatione, cum vel ex his sat possit intelligi, colligique, Venetos perquam falso prodere, sese in hoc ipso bello Mare Adriaticum vi armorum occupasse, adeoque ejus veros legitimosque esse dominos. Forsitan vero, si non in hoc bello, tamen in aliis, de Maris Adriatici dominio, certaminibus, Venetos eo esse potitos, adstruas. Sed si omnes Historicos, qui non Historiarum figmenta, sed facta genuina, fideliter ac absque ullius cupiditatis respectu, tradunt, spectes, de legitima Maris Adriatici, per vim armorum, ab Venetis facta occupatione, nec volam nec vestigium, in iis te conspicere atque deprehendere posse, perspectum cognitumque habeo. Dum vero hæc adstruamus, usurpatoriam ab Venetis ut mari potentibus, exercitam Maris Adriatici Dominii adfectationem, vi maritima, peractam atque tuitam, neutiquam excludimus. Talis vero dominii usucapio, cum extra consuetam legitimam armis decertationem, sola maris custodia (See-

Arma-

Armade) sit facta, effectu suo, atque vi qualicunque merito destituitur. Id quod exemplo regni Dalmatiæ magis apparet. Ex quo enim juris fundamento Dalmatiam sibi Veneti adseruerunt maritimam, ex eodem etiam Dominium Maris Adriatici temere adfectarunt. Cuicunque autem, qui monumenta rerum gestarum, ac vetustatis exempla est scrutatus, patet, maritimis emporiis Dalmatiæ regno ereptis, Duces Venetos Dalmatiæ titulum sibi pariter adrogasse, inprimis, postquam Imperatores Constantinopolitani illis hoc nomen concessissent. Imperatores enim Orientis, ut ex Scriptoribus illius temporis liquet, nulla tum pollebant autoritate, nullaque potestate, adeoque nulli spoliatori arma potuerunt obvertere. Accessit, quod cum ipsi Reges Dalmatiæ spernerent Orientis imperium, adseclæ facti Papæ Romani huic causæ non esse viderentur, ut illis auxilium præstarent. Cæterum in Venetorum tutelam atque protectionem (sit venia verbo) Dalmatæ maritimi eo facilius concesserunt, quod a cæteris Dalmatiæ Slavis infestarentur, invasionibus fere quotidianis, adeoque sospitatore præpotenti maxime indigerent, tum etiam, quia neque Papam, nec Imperatorem viderent vindices injuriarum, quibus tamen maxime incumbebat, Dalmatas tueri, eosque ab injuriis hostium vindicare. Accessit, quod Veneti tutelam offerrent, eamque jure vicinitatis, privilegia Dalmatica incolis relinquerent intacta. Ex eo tempore *Petrus Urseolus*, *Ducem Venetorum & Dalmatiarum*, se primitus scripsit dixitque, quem morem alii etiam Duces post eum tenuerunt; ut docent Annales Venetorum *Danduli*, *Justiniani* aliorumque, & *Lucius*, *L. 2. c. 7. 8. p. 75.* Reges vero Hungariæ, legitimos Dalmatiæ factos esse dominos, ullo vacat dubio. Venetos enim tunc maritimæ Dalmatiæ dominos de istis locis cedere coegit Hungariæ Rex *Ludovicus a. 1358.* ut adeo Dalmatia universa Hungaris obveniret. Licet autem Veneti *a. 1409.* emporia Dalmatiæ maritima impetierint, atque in litigiosa in Hungariæ regno successione consecuti sint, deinde Turcæ plura Dalmatiæ quoque oppida occupaverint, atque abstulerint, quæ

tamen in ultimis bellis Turcicis plurimum ſunt recuperata: Hungariæ tamen Regibus jura in Dalmatiam univerſam, integra atque illibata permanſerunt, & perpetuo ejus nominis in libellis uſu ſunt conſervata.

Poſ. LXI.

Quilibet itaque ipſe judicet, num Veneti, cum abunde hactenus ſit commonſtratum, eos Dominium Maris Adriatici titulo belli nunquam eſſe conſecutos, quid? quod eodem modo atque ex pari juris fundamento illud adfectaſſe, quo emporia Dalmatiæ maritima ſibi adſcripſerint: ullam adhuc prævertere poſſint juſti æquique ſpeciem, quæ legitimum Maris Adriatici per vim belli acquiſitum imperium, interpolet ac tueatur. Certe Cæſari, ex longe alio, firmo ſc. ſtatoque immo inconcuſſo fundamento, nempe, qua Dalmatiæ Regi Principique Iſtriæ dominium iſtius maris, cui ipſum regnum Dalmatiæ alluitur, hodie vindicatur; quod tamen hactenus adhuc ſibi adrogant Veneti. Sane, ſi absque ſtudio partium ingenuum de hoc aſſerto feramus judicium, non poterimus non eidem noſtrum adjicere calculum, illudque utroque pollice laudare. Ne vero absque commotoriis vibrantibusque aliquid adſtruere videamur rationibus, remotis Venetorum argumentis, fuco illitis, ut jus Cæſaris evidentiſſimum in Maris Adriatici Dominium, præmiſſis jam aliquibus neceſſariis momentis ulterius evincamus atque commonſtremus, curam diligentiamque adhibeamus. Præſertim, cum hocce Cæſaris jus, nullibi examinate atque fundamentaliter legamus vindicatum, immo, quod præcipuum eſt, diſcuſſionem argumentorum a parte Reipublicæ Venetæ, ſolidam in Hiſtoricis, ut mihi quidem conſtat, neutiquam deprehendas, quæ tamen ideo ſunt refellenda, ut optimum, certiſſimumque ſibi eſſe jus, Veneti, haud, perperam certe, opinentur.

Poſ. LXII.

Ex inſtituto vero, præter *Fratrem Paulum Sarpium*, del Dominio del Mare Adriat. della Sereniſſ. Republ. di Venetia, & *Pacium*,

Pacium, de Dominio Maris Adriatici, caussam Venetorum defendendam suscipit, eamque ingenti conatu studioque evincere audet; *Franciscus de Ingenuis in Epistola de JCtione Reip. Veneta in Mari Adriat. edit. 1619. in 4to.* & in linguam Germanicam transversa extat apud *Londorp. Tom. I. Act. Publ. L. II. C. 15.* Excussa vero potissimum est contra *Joannem Baptistam Valenzolam*, Hispanum, & *Laurentium Motinum*, Romanum, qui jurisdictionem Venetorum putativam in Mari Adriatico infringere pariter irritamque reddere sunt moliti. Hinc *Auctor* maxima animi vehementia eos insultat, atque vocibus dilacerat contumeliosis. Num vero *Ille*, Venetorum Dominium Maris Adriatici prætentum, ita reddiderit certissimum atque inconcussum, ut nihil ei obesse atque opponi possit; adeoque ii, qui illud infringunt atque infirmant, merito sint culpandi, probrisque lacerandi, vel ex sequentibus non obscure cernendum erit, atque colligendum.

Pos. LXIII.

Auctor itaque, qui Germanico genitus sanguine, (ut ipsemet sese in titulo Epistolæ profitetur; adeoque miror, eum partes Venetorum sumsisse; cujus vero causam hanc reddo certissimam, cum forsitan sibi intus cecinerit carmen) in principio epistolæ, supra commemoratos, Venetorum jurisdictionem in Mari Adriatico in dubium vocantes, ut magnus vitilitigator, multis proscindit conviciis, ac indignos responsione aliqua censet; immo, inutile atque inane plane institutum esse existimat, multa de hac materia disserere, in eamque inquirere; dominio Venetorum legitimo in Mari Adriatico jamdudum evicto, atque tantis firmato rationibus, atque tam validissimis argumentis, ut nullis amplius indigeat. Nimium vero hallucinatur *Auctor*, maximisque præjudicatis laborat opinionibus; id, quod ex argumentis ejus prolatis esse poterit conspicuum atque manifestum. Præsertim huc commonendum, quod multa præsupponat facta, haud probationibus firmata, neque ex Scriptoribus fide dignis evicta. Utplurimum ad Historicos provocat Italicos; & qui-

 dem

dem in genere, ac rarius, quam res prolatæ requirunt, in ſpecie hunc vel illum exprimit atque allegat. Nec Scriptoribus illis, ut cauſæ Venetæ defenſoribus atque fautoribus, & qui omni tempore gentis ſuæ facta comprobant, atque laudibus celebrant, ut & jura ejus, etſi cerebrina atque imaginaria, pro aris & focis defendunt, ulla adſcribenda erit fides, ac potius iis applaudendum, qui ipſos hoſtes laude proſequuntur, & res eorum geſtas, jura, & quæ ſunt reliqua, prædicant atque propugnant. Quanquam eos utique excipias, qui cupiditate atque avaritia cœci, ac lari quaſi hiantes pro pretio faciunt, ut opera appareat; adeoque ſplendore auri correpti, commenta magis, quam veritatem colunt; quorum palmarii facile ſunt, ac principem tenent locum, *Froiſſardus* & *Aretinus*.

Poſ. LXIV.

Principale vero *Auctor* argumentum ex præſcriptione depromit, maximumque probationis pondus in ea latitare, perſuaſionem ſibi induit. Ut validum etenim ac efficax ſuppetium atque fomentum, in quibuscunque dubiis ambiguisque caſibus eandem prædicat. Non multus ero in confutando hocce argumento; cum ſupra jam illud fuſe ſit diſquiſitum, eique ſatisfactum. Ne tamen plane hocce *Auctoris* fulcimentum cardinale relinquamus intactum; pauca adhuc, quæ ad majorem rei faciunt perſpicuitatem, ſupra jam commonitis appangere volumus. Eruditus vero ſimulationis artificio perperam certe prodit, Venetos per aliquot ſecula, jurisdictionem in Mari Adriatico quiete, nulloque penitus contradicente, exercuiſſe, neque de ea cum hoſtibus externis habuiſſe contentiones. Hinc provocat ad Scriptores, nempe ad omnes eos JCtos, Hiſtoricos, qui totius Italiæ, ac in ſpecie præcipuorum in ea locorum, Origines, Jura, Privilegia, Dominia, atque Territoria ſcriptis tradiderunt. Noſtrum itaque eſt, commonſtrare, præſcriptionem a Venetis oppoſitam, ſæpius fuiſſe interruptam, ac interpolatam; immo evincere, extra quoque hunc caſum, eandem incongrue ac fruſtra prætendi.

prætendi. Liquet vero ex ingenuis Scriptoribus, Dominium Maris Adriatici Venetis in certamen fuisse adductum a *Narantenis*, per annos fere 170. nempe usque ad *annum 996.* Deinde controversiam de eo habuerunt cum *Normannis*, ita ut coacti fuerint Veneti, multoties manus cum ipsis conferre, atque de acie contendere. *Genuenses* æque ac *Pisani*, de jurisdictione in Mari Adriatico cum Venetis acriter certarunt, atque per CCC. annos armis cum iisdem contenderunt. Venetos tamen victoriam tandem reportasse, constat. vid. *Amelot de la Houssaye en l' histoire du Gouvernement de Venise pag. 429.* Pontifices quoque Romani dominium illud Venetorum usurpatum in dubium vocarunt, uti inter alia, ex notissima, quæ narratur *Alexandri VI.* ad Legatum Venetum, *Hieronymum Donatum*, facta allocutione, hujusque apta acute certo arguteque opposita responsione, supra jam recensita, constat. Et hinc multis ansa data fuit, viaque munita, ut in celebratam illam a Pontificibus Romanis, *Constantini M.* donationem, inquirerent, ac dilucide commonstrarent, eam esse fictitiam ac suppositiam. Confer. *Guicciardin. L. IV. Hist. Centur. Magdeburg. IV. p. 560. sqq. Marquard. Freber. in Commentar. ad dict. donationem. Conring. de Germ. Imp. Rom. C. X. §. 14. & C. XIII. §. 14. Bitsch. Dissert. de donat. Constantini M. Boxhorn. Hist. Universal. p. 279. Francisc. Iren. ad Burgoldens. Part. III. Disc. 8. p. 89. Limn. L. I. J. P. C. IX. n. 38. sqq.* Quid? quod ipse *Baronius*, strenuus alias jurium Papalium propugnator, sententiæ horum Scriptorum accedit, in *Tom. XII. Annal.* Præterea, quæ post *Alexandrum VI.* pace inter *Julium II.* ac Venetos composita de Dominio Maris Adriatici, sunt stipulata, legas apud *Guicciardin. L. VIII. Hist. Venet.* in fin. & *Belcarium L. II. Rer. Gall. n. 39.* Deniqui Hispani a. 1618. Venetis Dominium Maris Adriatici adfectatum eripere sunt moliti; Quare Dux Orsonensis (Duc d'Ossuna) sub prætextu retorsionis, controversia inter Domum Austriacam, ac Rempublicam Venetam in Dalmatia exorta, Mare Adriaticum ope classis Hispanicæ turbavit, Venetisque naves quasdam eripuit. Scopum

vero

vero suum non assecuti sunt Hispani. Vid. *Franckenberg.* Europäischer Herold. *P. II. p. 139.* qui & *p. 513.* de dominio Venetorum usurpato in Mari Adriatico hoc fert judicium; ut dominium hoc, per varias exterorum hostium invasiones atque incursiones in mare, valde sit interruptum ac læsum. Conf. *Puffendorff.* Einleitung zur Historie. *P. III. Cap. I. tot.* quo varia adducuntur exempla, quæ satis evincunt, celebratam illam jurisdictionem *Reip.* Venetæ in Mari Adriatico, non solum ab aliis, nullo jure in illud gaudentibus, fuisse infensam, sed ab ipsa quoque Domo Austriaca, eandem ut usurpatam; Sibi vero de jure competentem, cum vi atque auctoritate fuisse impugnatam atque lacessitam. Hinc facile erit colligendum, quo fundamento obtendant præscriptionem Veneti, cum ea, ut interrupta atque interpolata, ipso jure sit nulla, omnique efficacia sua privetur. Certissimum est juris fundamentum, quod præscriptio nunquam valide possit opponi, nisi possessio edoceatur continua; i. e. non interrupta, s. usurpata. Est enim usurpatio, possessionis interruptio. *L. II. π. de Usurpat.* Et est vel naturalis, quando quis de possessione dejicitur; *L. V. π. de Usurpat.* & civilis, quæ fit per denunciationem, & quidem salva possessione. *Stryck. ad Brunnem. Jus Eccles. L. II. C. II. §. 7. verb. Nuda citatione.*

Pos. LXV.

Sed finge, nulla in Scriptoribus consignata offendi exempla, quæ præscriptionem ab Venetis oppositam interruptam declarare possent; eandem tamen ab ipsis infelici prorsus successu esse obversam, evincamus. Constat vero ex Jure nostro; ad legitimam alicujus rei præscriptionem requiri, ut edoceantur 1.) justus titulus, nempe causa, ex qua quis rem juste tanquam propriam possidet. Venetos autem justum titulum, ex quo Maris Adriatici Dominium sibi vindicarunt, neutiquam ostendere atque commonstrare posse, in aprico est. Quæ de donatione Pontificis *Alexandri III.* tacita aliorum Regum atque Principum concessione &c. verba funditant atque fabulantur; partim sunt confu-

confutata, partim adhuc alio loco dispescenda. Quæ de titulo belli tradunt ac prædicant, ex *§. LVIII. & LIX. sqq.* sunt repetenda. Et si forsitan objicias, quod secundum hanc juris regulam: *Quotiescunque aliquis, vero Domino patiente, longo tempore usus fuerit certa re, toties ad illius præscriptionem non opus esse titulo;* Venetos haud indigere ad evincendam præscriptionem, allegatione tituli. Quia patientia sit loco tituli, seu in patientia domini latitet titulus, qui est liberalis animus domini. *L. II. C. de Servit.* & si verus titulus hic adesset, non opus foret præscriptione, sed res mox esset acquisita: Hæc vicissim ponderes, animoque percurras, hanc patientiam includere scientiam, *d. L. II. C. de Servit.* h. e. ut Dominus rei non solum patiatur, me illa uti, sed & id ipsum sciat. Conf. *Carpz. L. I. Resp. 36. n. 4. Wurmser. L. I. Pract. Obs. tit. de Servit. 16.* Id vero Venetos haud probare ac manifeste exhibere posse, merito est negandum, ac ex §. *LXIV.* aliter constare potest. 2.) Bona fides, seu opinio, quando quis credit, rem esse suam; *l. 109. π. d. V. S.* eandemque toto temporis decursu ad omnem præscriptionem requiri, videre est ex *Mynsing. Cent. 4. Obs. 6. Gail. L. II. O. 18. Mev. P. II. dec. 102. add. Gebhard. de Usucap. C. I. n. 29.* Bona vero fides ideo a Venetis doceri haud potest, quia deficit justus titulus, ut paulo antea commonstravimus. Fides etenim bona præsumitur, quoties probatur titulus, eo vero deficiente, præsumitur mala fides *C. I. X. de præscript. in 6to.* quia scire debeo, rem ad me non pertinentem, modis omnibus ad alium pertinere; *L. ult. C. unde vi. Carpz. P. II. C. III. d. 6. n. 7.* Venetis vero optime perspectum fuit, Mare Adriaticum cum regno Dalmatiæ esse connexum, adeoque ejus dominium omnibus modis ad Regem Dalmatiæ pertinere. Quare cum hoc modo ipsi profiteri debeant, sese in mala fide esse constitutos, bonæ fidei usucapio quoque huc exulat. 3.) Continua possessio, necessarium usucapionis requisitum, pariter hoc loco deficit, ut ex *Pos. LXIV.* evincendum. Itaque hæc præscriptio ab Venetis pro causa sua allegata, cum omnibus necessariis careat requisitis, ut vitiosa atque inanis merito rejicitur,

citur, neque Regis Dalmati juri legitimo quicquam derogare potest. Et, quod præcipuum est, ipse titulus *Regis Dalmatiæ*, ad omnem præscriptionem eludendam sufficit atque suppeditat. Palmaria etenim hæc est causa, cur summi Reges atque Principes titulos atque insignia provinciarum retineant deperditarum, ut, omni præscriptione in perpetuum ita interrupta, omni tempore salva ipsis maneat illarum vindicatio. Nulla itaque urget ratio, ut cum *Grotio Cap. VII. de mar. lib.* adstruamus; præscriptionem, cum sit a jure civili, locum habere non posse inter Reges & Principes. Rationes etenim, quæ ex *Vasquio* potissimum, depromit, id haud suadent. Putat vero, cum Principes non recognoscant Superiorem, lite quadam mota, cessare debere materiam præscriptionum, non secus quam si revera scripta aut inventa nunquam fuisset. Quia Jus Civile unius Principis alterum Principem non teneat, sed Jus tantum Naturale & Gentium inter eos sit servandum; & secundum tale Jus Civile esset judicandum: Nam si Princeps legibus populi sui solutus esse dicatur; *L. Princeps legibus π. de Legib.* quanto magis solutus esse dicetur legibus alterius Principis. Et sic Principes inter se semper sint, atque esse videantur, ac fuisse quasi in terminis; *L. 2. ad princip. π. d orig. jur. l. 1. π. de pact. l. 1. ff. de constit. pecun. cum simul.* ut inter eos Jus solum Naturale & Gentium non & Civile sit in consideratione, non magis quam si scriptum atque inventum nunquam fuisset. Quemadmodum itaque inter Principes cessare debeat Jus Civile, quoad omnes contractus, conventiones, reliquosque humanas actiones, ita quoque & quoad præscriptiones cessare, in comperto esse debeat, quandoquidem præscriptionum inventum mere civile sit & civilissimum. Nolo vero multus esse in confutandis hisce passim jam ab aliis destructis dogmatibus. Tantummodo ipsa *Grotii* verba iis opponam, quibus suam sententiam cit. loc. defensam ipsemet convellit. Scribit vero *Lib. d. J. B. & P. L. II. Cap. IV.* adducta *Vasquii* sententia contraria §. *I.* ita: *Atqui id, si admittimus, sequi videtur maximum incommodum, ut controversiæ de regnis regnorumque finibus nullo*

nullo unquam tempore extinguantur: quod non tantum ad perturbandos multorum animos, & bella ferenda pertinet, sed & communi gentium sensui repugnat. it. §. *IX.* hæc tradit: *Ac forte non improbabiliter dici potest, non esse hanc rem in sola præsumtione positam, sed Jure Gentium voluntario inductam hanc legem, ut possessio memoriam excedens, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferret &c.* Præterea nec coacti sumus, ad illam *Vasquii* Juri Gentium ex diametro oppositam confugere sententiam, quæ eo procedit, ut præscriptio etsi admittatur, cum locum non habeat in bonis, quæ possideri nequeunt, etiam ad mare haud extendi possit. Docet vero ex Jure Romano, Legis Civilis rationem ideo impedire præscriptionem: cum usucapi, ac præscriptione acquiri prohibeantur, quæ in bonis esse non possunt, deinde quæ possideri, vel quasi possideri nequeunt, & quorum prohibita est alienatio. In quem finem provocat ad *l. 6. π. de contr. emt. l. 9. ff. de Usucap. l. 25. π. eod. c. fine poss. de reg. jur. in 6. l. 28. π. de verb. signif. l. 16. ff. de fund. dot.* Hæc vero omnia de mari & usu maris vere dici posse, existimat. Addit, cum publicæ res, nempe Regis vel Principis nulla temporis possessione quæri posse dicantur, sive ob rei naturam, sive ob Principum jura adversus ea præscriptio ista procederet, quanto justius humano generi, quam solummodo Principibus id beneficium dandum fuerit in rebus communibus. Hinc allegat locum *Papiniani: Præscriptionem longæ possessionis ad obtinenda loca Juris Gentium publica concedi non solere.* Sed tota hæc res haud ex Romanorum placitis, sed potius ex Jure Gentium recepto est eruenda. Quare hæcce *Vasquii* sententia, utpote Juri Gentium ac communi eorum sensui neutiquam accommodata, ac plane contraria, merito rejicitur; nec a nobis in præsenti materia erit fovenda. Nec, uti jam commonui, ulla id suadet ratio, cum unicum illud possessionis interruptæ momentum omnem a Venetis venditatam præscriptionem facile evertat.

 Merito

Merito ac bene pensitanda est possessio non interrupta; i. e. ut *Sulpitius* apud *Livium L. XXXV. C. XVI.* loquitur: *Uno & perpetuo tenore juris semper usurpato nunquam intermisso.* Idem *ibid. n. 9.* dicit: *perpetuam possessionem, ac nullo ambigente.* Desultoria etenim possessio nihil efficit, quomodo Numidæ excipiebant adversus Carthaginenses: *per opportunitates nunc illos, nunc Reges Numidarum usurpasse jus, semperque penes eum possesionem fuisse, qui plus armis potuisset.* Supervacaneus vero videtur labor, tam fuse in aliquid inquirere, atque commonstrare, quod jam supra satis fuit edoctum, ac tantis haud indiget probationibus. Nihilominus hæc ad majorem rei perspicuitatem inservire, ac principale illud Venetorum ab usucapione depromtum argumentum tanto potius destruere ac evertere possunt. Simul ex his cognoscitur, valde opinione sua falli *Auctorem*, si putet, solo hoc præscriptionis argumento dominium Venetorum legitimum in Mari Adriatico dilucide & perspicue expediri, immo extra omnem poni dubitationem.

Pos. LXVI.

Ad alterum vero nos accingamus argumentum, quod *Auctor* pro causa sua in medium adducit. Illud vero eo redit, ut verbis admodum speciosis, quæ vero epiphyllides sunt meræque ampullæ, ad maximum JCtorum provocet numerum, qui Venetis Dominium Maris Adriatici unanimi consensu adjudicant. Et quidem ultra triginta celeberrimos nempe clarissimosque viros recensere se posse, cum necessitas id poscat, multis indicat. Sed, cum in re tam gravi atque ardua, haud auctoritati judiciisque aliquorum, qui pleni sunt affectuum, Scriptorum, validissimis potius stringentibusque inhærendum sit rationibus, ex iisque veritas vel falsitas rei cujusdam controversæ veniat hauriendа: Sane auctoritas illorum Scriptorum nihil efficit, atque probat, nec legitimam Regis Dalmatiæ Principisque Istriæ in Mari Adriatico jurisdictionem dubiam reddere, aut quocunque modo infringere atque infirmare potest. Valde vero doleo, *Auctorem* nomina

nomina illorum Scriptorum omnia reticuisse, ac nec unicum quidem nobiscum communicasse: Facillimo etenim sic modo dijudicandum esset; num unus vel alter quadam polleat auctoritate, atque huic vel illi fides quædam sit adscribenda. Venit mihi vero in suspicionem, si non omnes, tamen plerosque, ex iis, quos in mente testes auctoresque laudat *Auctor*, vel libidine assentandi, pessimo veri affectus veneno instinctos, atque concitatos Venetis applausisse; vel totam rem haud rectis apertisque mentis oculis inspexisse, eandemque esse scrutatos. *Auctor* quidem animo suo hanc imbibit opinionem: Scriptores eos, quos innuit, causam Venetorum validissimis evicisse argumentis, immo eandem reddidisse inconcussam: Sed vitio nemo id vertere mihi poterit, si nudo *strenui nostri defensoris* asserto neutiquam adstipulemur, nisi illorum Historicorum rationes, quas proferunt, examinaverimus, ac validas eas atque prægnantes notaverimus. Etsi vero divinando assequi haud possim, quem innuat *Auctor noster* Scriptorem, quem haud asserere erubuisse, sequens asserit dogma: *Reipublicæ Venetæ haud minus jus in Mare Adriaticum competere, quam in ipsam Venetiarum urbem:* tamen haud obscure hæc eo collineant, ejusdem sunt farraginis, ac quæ legimus in *Jo. Palatio de domin. maris. L. II. C. IV.* qui ibidem ita concludit: *Si urbs Veneta in mari sumsit exordia, & urbis fuerunt Veneti domini, Veneti quoque fuerunt domini ejus, in quo erat urbs, igitur domini maris.* Sed quæso! Quæ? qualis? quanta? Numne Mare Adriaticum omne, quod late patet, Venetias alluit, adeoque in & de territorio Reipublicæ Venetæ esse, adstrui potest? Ex Geographicis cuilibet constat, maximam Maris Adriatici partem tum & Regno Dalmatiæ, tum & Principatui Istriæ adjacere, ac inde optimo jure ad territorium maxime Dalmatiæ pertinere. Quomodo itaque, ab exigua ea maris parte, quæ loca jurisdictioni Venetæ subjecta ambit, ac proprie de territorio Venetorum dici potest, ad omnis maris dominium, *ratione territorii* Venetis competens, argumentari, atque ex hoc imperium Reipublicæ absolutum in Mari Adriatico effici colligique

que poteſt? Mira ſane hæc atque portentoſa eſt ratiocinatio: Quicunque urbis, quæ in mari ſumſit exordia, ſive ſit Rex vel Princeps, vel Reſpublica, legitimus eſt dominus: ille quoque ejus eſt dominus, in quo eſt urbs, itaque dominus maris. E. Hanc ſi doctrinam ſequamur; & Danos, & Suecos, & Moſcovitas Maris Balthici, vel omnes eos, cujuscunque ſit, maris ſalutare debemus dominos, qui urbem quandam maritimam obtentui ſumere poſſunt. Territorium Venetorum, quoad Mare Adriaticum, haud ultra fines ditionis ſuæ ſe extendit, nec metropoli eorum exſtructa, ullum maris dominium ſibi adrogarunt. Cum vero Imperatores Orientis, Regni Dalmatiæ adeoque & Maris Adriatici legitimi tunc domini, Venetis, eam maris partem, quæ eſt inter *Ravennam* & *Aquilejam*, ideo concederent, ut contra piratarum aliorumque incurſiones ſeſe contueri poſſent: ſtatim Veneti hocce Imperatorum beneficio perperam ſunt abuſi, ac Maris Adriatici Dominium ex abſoluta auctoritate adfectarunt. Num vero uſurpatoria talis alieni dominii adfectatio, & Imperatoribus Orientis, ac poſtea Regibus Hungariæ, ut legitimis Regni Dalmatiæ dominis, de jure ſuo optimo quicquam potuerit derogare, quisquis ipſemet facili negotio, judico poteſt aſſequi. Præterea non video, quomodo urbis dominium cum illo maris cohæreat, ac qualis inter hæc intercedat connexio. Urbis certe dominium ab illo maris longe eſt diverſum atque ſeparatum, nec licet ab ſpeciali alicujus loci dominio, ad ejus, quod ipſi adjacet, concludere jurisdictionem. Certe ſi hanc foveamus ſententiam, nemini, qui loca, rerumque dominia de jure poſſidet, ſalva erit poſſeſſio, cum vel hic vel ille dominium urbis cujusdam, obtendens, ipſi hic vel illic aliquid de territorio defalcare atque decerpere poſſit. Hinc vero ſuſpicanda bella, ac infinitæ diſſenſiones non niſi oriri poſſunt; quid? quod tales eliciuntur concluſiones, quæ Juri Gentium, omnibusque inter eas receptis conſuetudinibus, immo ſanæ repugnant rationi. Sed tota *Palatii* argumentatio facile optimeque eluditur, ſi differentiam ſpectes inter illam maris partem, quæ exiguum alluit territorium,

&inter

& inter hanc, quæ totum alluit regnum. A majori itaque facta denominatione Dominium Maris Adriatici Regno Dalmatiæ, ut potissima ejus parte, ipsi adjacente, utique cohærere debet. Exigua vero illa maris pars, ab Imperatoribus orientis, Venetis ad urbis defensionem concessa, nullum ipsis aliud majusque adferre ac adjudicare potuit dominium, quam in quantum ea ab Imperatoribus fuerit terminis atque limitibus designata, ac quam longe evagetur. Adeoque *unica pars*, cum neutiquam comprehendat *totum*, sed maxima potius pars *totius* prædita sit appellatione: Maris Adriatici Dominium plenissimum Imp. Orientis antea proprium, Regibus postea Hungariæ, Dalmatiæ regno potito, de jure vindicatum; nec ea maris parte ab Imp. Venetis antea concessa, ipsis aliter, quam salvo dominio eminenti, relicta, omni tempore Regibus Dalmatiæ salvum mansit atque illibatum. Illud vero cum privati solummodo Scriptoris præceps atque temerarium sit judicium, nulloque suffultum fundamento; illud nulla ampliori dignum videtur investigatione; præterea, cum ejusdem debilitas cuilibet facile appareat. Miror interea valde, *Auctorem* ex Scriptoribus depromere argumenta, nec ea ex iis probare. Sic vix mihi persuadeo, dari Historicos, qui affirmare audent, Mare Adriaticum, Venetorum esse territorium, fines, ditionem ac solæ jurisdictioni suæ subjectum. Flagravi certe desiderio, rationes hujus asserti cognitas comprehensasque animo habendi: Sed cum Scriptores illos, quos tacite putat *Auctor* divinatione assequi haud possim, argumenta quoque eorum me adhuc latent. Forsitan vero eisdem nituntur fundamentis, quibus insistit *Auctor noster*; deficiente idonea quadam ratione, qua assertum tale temerarium propugnare potuerint. Quo jure territorio suo Mare Adriaticum adscribunt Veneti? Quo titulo illud terris suis adnumerant? Unde fines illud dominii sui constituerunt? Quomodo mare Adriaticum Regibus Dalmatiæ eripuerunt, suæque adscripserunt jurisdictioni? Facillimum sane est, theses aliquas temerario adstruere ausu, easdem vero validis probare atque corroborare argumentis, id certe artem doctrinæ-

que

que requirit ſtudium, atque lucernam olet. Sic itaque aſſerta prolata bene aſſeras, atque defendas; ſed ſi ea rationibus ſolidis confirmare poſſis, has nobiſcum communices atque edoceas, & certe eris mihi magnus Apollo. Quæ vero paullo antea ſunt commemorata, illa Scriptorum nonnullorum dogmata convellere ſatis poſſunt: quare ſpeciali aliqua confutatione huc non indiget, ne percopioſus ſim nimisque diffuſus, omnemque operam atque oleum perdidiſſe videar. Niſi vero ſatisfactum iisdem plene forſitan exiſtimes, ex ſequentibus nimirum pleniſſimam eorundem deſtructionem perſpectam cognitamque habere poteris; in quantum quidem occaſio fuerit ſuppeditata.

Poſ. LXVII.

Auctor vero, (qui auctoritate Scriptorum magis fidit, quam Peleus gladio ſuo,) porro, maximi ponderis argumentum ex iis adduxiſſe ſibi videtur, ſi ſcribat, eosdem Scriptores, (quos, ut Papa Purpuratos in pectore retinet,) de poteſtate illa facere mentionem, quæ Reipublicæ Venetæ competat, ferendi atque præſcribendi leges & taxationes, in notitiam eorum conſignatas, qui mare Adriaticum navigatione pervehuntur, quæ nempe in navigatione atque enavigatione & ſolutione vectigalium, aliisque irrogationum oneribus, præſtare teneantur. Parum vero hoc argumentum ad Venetorum jurisdictionem, in Mari Adriatico evincendam, adferre, vel ex ſequentibus conſtare poteſt momentis. Cum 1.) talis impoſitio exactioque vectigalium ſit uſurpativa, adeoque ſuo deſtituatur effectu. Ea enim huic tantummodo competit, qui ſumma præditus eſt potentia, *Grot. d. J. B. & P. L. I. Cap III. §. 6. n. 2.* qui directe publicas actiones vocat, quæ ſunt pacis, belli, fœderum faciendorum, aut res, ut *vectigalia*, & ſi quæ his ſunt ſimilia, in quibus comprehenditur & dominium eminens, quod ſic dictum, ut diſtinguatur a dominio privato cujusvis civis in res ſuas. Regi vero Dalmatiæ dominium eminens in Mari Adriatico legitime competere, Veneti ipſi ſunt confeſſi, ut declarat formula pacis & renunciationis factæ

ab iis

ab iis. *a. 1358. indict. II. die dominico 25. Febr.* cum Rex Hungariæ *Ludovicus*, eos maritimæ Dalmatiæ tunc dominos de istis locis cedere coëgerit. Ipsæ vero formulæ pacis atque renunciationis verba hæc sunt. *Joannes Delfino D. G. Dux Venetorum &c. Rex pacificus, JEsus Christus. Cum inter Ludovicum, Hungariæ Regem & nos ac commune* (die Gemeind) *Venetiarum multæ discordiæ & derotationes fuerint occasione Dalmatiæ: Nos, qui cum Regno Hungariæ pacem optavimus, in pacem devenimus hoc modo. Videlicet renunciamus in manibus Regis* toti Dalmatiæ *a medietate Guarnarii ad confines Duracii omnibus civitatibus, terris, castris, insulis, portubus & juribus, quæ habuissemus & tenuissemus in eisdem, quoquo modo, & specialiter civitatibus, Nonæ, Jadræ, Sardonæ, Sibenici, Tragurii, Spalati, & Ragusii, in Terra Firma existentibus, item civitatibus & terris adjacentibus, videlicet Cheffo, Vegliæ, Arbo pago, Brachiæ, Lesinæ, Cursulæ, cum insulis earundem, cum omnibus pertinentiis, utilitatibus earundem, ac NB.* titulis Dalmatiæ, *Croatiæ quibus uti consueveramus,* & totum ipsorum jus (Maris etiam Adriatici Dominium) & dominium & proprietatem, *quod habuissemus in ipsum Regem & Successores suos,* sponte, deliberate & cum maturitate *transferentes,* renuntiantes, *insuper omni actioni & legis beneficio, quibus possemus contra prædicta nos juvare. Præstito juramento corporali. a. 1358. indict. II. die dominic. 25. Febr. feliciter. Amen.* Nulla tabulas indigere explicatione, existimo, cum illæ sensus habeant claros, atque apertos. Cum itaque ex tabulis hisce manifestum sit, Venetos, omne dominium, quod antea in Dalmatiam atque Mare Adriaticum habuerunt, *sponte, deliberate & cum maturitate* transtulisse; nullum penitus jus ipsis esse relictum, apparet, ac dilucide constat. Et licet Veneti a. 1409. emporia Dalmatiæ maritima iterum occupaverint, atque in litigiosa in Hungariæ Regno successione sint assecuti, nullo tamen justo titulo belli legitimum dominium sibi adquisiverunt. Sed Regibus Hungariæ injuste potius eripuerunt; adeoque

que nihilominus his Dominium in Mari Adriatico salvum mansit atque illibatum. Illo etenim tempore Hungaria intestinorum dissidiorum motibus erat concussa, rebus autem commerciisque Venetorum maximopere efflorescentibus factum est, ut illi plurima Dalmatiæ & Croatiæ maritima loca de utroque regno defalcarent, ut optime docet *Lucius L.V. C.V. p. 262.* Cum itaque ex hisce appareat, nullum Venetis *sponte, deliberate & cum maturitate renunciantibus*, dominium juste posse adscribi: Ipsis quoque vectigalium exactionem, ac jus legum præfiniendarum nullo ex modo competere, adeoque ex potestate tali, propria usurpata autoritate nullum Dominium Maris Adriatici eminens evinci colligique posse, manifestum est. 2.) Ex monumentis Historicorum genuinis haud edocendum, Reges Hungariæ, vectigal pro transferendis mercibus Venetis præstitisse. Quare facile hinc concluditur, Reges Hungariæ jus legitimum vectigalia imponendi, sibi semper vindicasse, nec perpessos esse, ut per solutionem vectigalium Venetis præstandam, dominium suum in Mari Adriatico eminens, evertatur. Ac si alii Principes telonia præstiterint Venetis, tamen id Regibus Dalmatiæ præjudicio esse haud potest, cum nemo alteri jus suum legitimum, per tales dominii alieni noxias agnitiones, auferre queat. Nec Veneti sine discrimine adstruere possunt, omnes eos, qui in Mari Adriatico navigationem exercent; vectigalia, nisi per pacta vel fœdera illud ita sit constitutum, ipsis præstare. Sed hæc non docent legitimam maris occupationem aut juris navigandi. Possunt enim ut singuli, ita & populi pactis, non tantum de jure, quod proprie sibi competit, sed & de eo, quod cum omnibus hominibus commune habent, in gratiam ejus, cujus id interest, decedere. Cæterum haud negamus, in ea maris parte, quæ ad territorium Reipublicæ pertinet, Venetis jus imponendi vectigalia utique competere. Quod vero in toto mari id exercere, ac per talem usurpationem Regibus Dalmatiæ Dominium Maris Adriatici manifestum auferre velint; nullo penitus jure ab ipsis perficitur. Quare facile apparet, ex hoc exactionis vectigalium capite causæ Vene-

Venetorum parum aut nihil consuli atque medicari. Maxima itaque me incessit admiratio; Scriptores, ex quibus *Auctor* argumentum hoc petiit; jus illud Venetorum prætentum, exigendi in Mari Adriatico universo, vectigalia ita extra omne dubium omnemque disceptationem positum esse, arbitrari, ut existiment, neminem unquam fuisse, qui contrarium sententiæ suæ ostendere, tantum absit, ut defendere atque propugnare illud, sit ausus. Sed totum illorum Historicorum utique fuit negotium, Venetorum benevolentiam, blanditiis atque assentationibus colligere, inde nullum aliud judicium, quam quod Sycophantarum est proprium, ab iis fuit expectandum. Sed hujuscemodi pusilli animi, ac stultæ ambitionis hominibus, qui magno conatu & mirabili molitione ineptiunt, relinquamus, quod suum est. Nam neque nos illorum sordes, in tam illustris materiæ pervestigatione contrectare docuerit: neque vicissim ferendum nobis erit, ut eorum vel impudentia, vel inscitia, vel nugacitas, in hanc meliorem nostram doctrinæ possessionem quasi caducam atque vacuam irrumpat. Nec instituti nostri ratio est, per confutationem aliorum, laureolam in mustaceo quærere, quippe ab quo mens mea longe ratioque abhorret.

Pos. LXVIII.

Defensor causæ Venetæ vero auctoritate Scriptorum porro subnititur, ac dogmata illorum explicare, eaque magis firmiora reddere satagit, si ita pergat: Quanquam aliqui Historicorum in thesi scribant; dum *mare* solummodo *Venetum*, facta de eo mentione, sese innuere prodant, nec perspicue indicent, quale potissimum significare velint mare, & quam late pateat: dari tamen alios, qui magis dilucide atque enodate sese explicent, ac mare illud *Golfum*; nonnulli vero expressis verbis *Mare Adriaticum* nuncupent. Sed frustra operam conterit *Auctor*. Docent enim Geographi, aquam illam, quæ præter Italiam fluit, *vulgo* appellitare, *Golfo di Venetia*; alias vero *rectius* dici Mare *Hadriaticum*, f. *Adriaticum*. Colonia autem *Hadria* fuit Tuscorum, urbs in-

F 2 cluta,

cluta, tantaque celebrata fama, ut ab ejus nomine appellatus fuerit *Sinus Hadriaticus*, qui & *Adria* eodem dicitur vocabulo; vid. *Liv. 5. 33.* & *Victor Junior in Adriano.* Quare omni vacat dubio, Scriptores, quos putat *Auctor*, per denominationem *Maris Veneti*, *Mare Adriaticum* utique significare voluisse, nec ex hoc capite dominium Venetorum in eo ab ipsis defensum in dubium vocari posse, si modo de reliquis, quæ proferunt, argumentis, tam certe constaret. Quanquam vero id satis eluceat, ideo tamen Scriptoribus haud adscribenda erit fides, sed argumenta eorum potius sunt inspicienda, quibus quidem res perficitur, haud vero explicatione, vocab. *Golfi*, *Maris Veneti &c.* quæ per se clara sunt atque perspicua. Haud itaque perspicio, cur *Auctor* huc hæsitet, nec quid pronuntiare debeat, compertum habeat; Pariter cur in explicationem Scriptorum, quam ad voc. *Mar. Adriat.* fecerunt, tam anxie inquirat. Scribit etenim: Historicos per verba, *Maris Adriatici*, non ejus formam solum atque situm describere; sed illius quoque latitudinem, atque longitudinem significare voluisse. Propria itaque mens atque sententia illorum, qui *in genere* loquuntur, ex verbis horum, qui explicite ac clare mentem suam explicant, debeat enodari atque interpretari: Addit: notissimam esse Logicorum hanc regulam: *ex verbis Synonymicis & claris, æquivoca atque ambigua esse explicanda, atque eruenda.* Cum vero 1.) jam commonui, atque iterum huc repeto, Scriptoribus in tanti causa momenti non nude esse inhærendum, ac dogmatibus eorum temere adnuendum; 2) Haud in eo res versetur, num Historici, per *Golfi* voc. vel aliquam partem Maris Adriatici, vel universum illud voluerint indicare: Sed potius argumentis rationibusque prægnantibus dominium Venetorum adfectatum veniat evincendum; frustra sane *Auctor* de denominatione *Golfi*, atque significatione *Maris Adriatici* contendit. Denique non quæritur hoc loco, quæ sit Maris Adriatici vastitas, circuitus, & quæ sunt reliqua: Sed eo tota redit controversia: Num Dominium Maris Adriatici recte ac de jure Venetis possit vindicari. Id quod vero ex omnibus ante delineatis *Auctoris* verbis neutiquam evincitur. *Pos. LXIX.*

Pos. LXIX.

Jam vero *Auctor* ad scopum accedere vult, ac, ut ipse scribit, in ipsam rem inquirere cupit, atque sequentem eruere quæstionem: Quonam tempore Veneti Maris Adriatici Dominium sibi vindicaverint? Pro more itaque suo ad longe celeberrimos provocat Scriptores, quos mirifice omnes consonos atque concordes esse dicit; quod, cum post occasum atque interitum Imperii Orientis, vel eo jam ad exitium invergente, Mare Adriaticum per multos annos omni præsidio atque tutela fuerit destitutum, ita, ut nulla protectione, (ut ita loquar) nec defensione, nec patrocinio, sit gavisum, nemo quoque de domino ejus contenderit: Veneti, temporibus illis, Mare Adriaticum, ad usum suum convertendum, atque commercia exercenda in tutelam, partesque suas receperint. Sed necesse est, ut in investigando hocce dogmate Historicos potissimum consulamus, ex iisque statum illorum temporum petamus. Deinde vero scrutemur, quo jure hæcce Maris Adriatici Dominii ab Venetis exercita usurpatio sit facta. Constat vero ex monumentis genuinis, atque Historici unanimiter tradunt, *Carolum M.* Istriam, Liburniam atque Dalmatiam in possessione tenuisse, ut inter alios testatur *Eginhardus, in Vita Caroli M. Cap. XV.* ibi: *Carolus utramque Pannoniam, & oppositam in altera Danubii ripa, Daciam, Histriam quoque & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam, & junctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, adquisivit.* Adeoque eo tempore *Carolus M.* totam fere Dalmatiam quidem in potestate habuit, sed emporia maritima, simul cum Dominio Maris Adriatici, ad Imp. Orientis pertinuerunt. Visum vero fuit, Francos & Græcos de Dalmatia inter sese non potuisse convenire. A. 806. Princeps *Paulus de Zara* Imperatorem Occidentis dominum suum salutavit, qui quoque sancivit, disposuitque, qua ratione Reges Dalmatiæ in posterum essent tractandi. Vid. *Annal. Laurisheimenses, ad a. 806.* ibi: *Statim post natalem Domini, venerunt*

 Wilba-

Wilbarius, & Beatus, Duces Venetiæ, nec non & Paulus, Dux Jaderæ, atque Donatus ejusdem civitatis, Episcopus, Legati Dalmatarum, ad præsentiam Imperatoris, cum magnis donis, & facta ibi est ordinatio ab Imperatore, de Ducibus & populis, tam Venetiæ, quam Dalmatiæ. Eodem tempore Imperator *Nicephorus*, sub auspicio *Nicetæ*, classem instruxit, ad Dalmatiam occupandam, quanquam anno subsequenti, impetratis induciis, rebus quidem infectis, iter relegeret. Conf. *Annal. Laurisheimenses, ad a. 806.* ibi: *Classis* a *Nicephoro* Imperatore, cui *Niceta* Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et ibid. *ad a. 807. Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitana in Venetia se continebat, pace facta, cum Pipino Rege & induciis, usque ad Augustum constitutus regreditur.* A. vero 809. fortunam belli iterum tentavit, ac periclitatus est, & etsi *Paulus*, classis præfectus, ad Venetias confugere fuerit coactus, mox tamen meliori dimicavit fortuna, ut videre est ex eo, cum Græci a. 810. in Dalmatia sese suaque stabiliverint, atque communiverint, ut classis Francorum nihil proficere potuerit. Conf. *Annal. Laurisheimenses*, ad a. 809. ibi: *Classis, de Constantinopoli missa, primo Dalmatiam, deinde Venetiam adpulit, cumque ibi hiemaret, pars ejus Comiaclum insulam* accessit. Et ibid. a. 810. *Pipinus classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit; Sed cum Paulus, Cephaloniæ præfectus, cum orientali classe, ad auxilium Dalmatis ferendum, adventaret, regia classis ad propria regreditur.* Tandem vero *Nicephorus*, totus se ad voluntatem Francorum accommodavit, atque Dalmatiam ipsis propriam reliquit; reservatis sibi tamen Venetiis atque quibusdam emporiis maritimis. In eam pàrtem accipio testimonium *Eginhardi, in Cap. XV.* paullo antea commonitum a nobis atque expositum. Et sic quoque capienda, quæ tradunt, Annales Francici; a. 810. ibi: *Carolus pacem cum Nicephoro Imperatore fecit, & ei Venetiam reddidit. Jo. Lucius* vero *L. I. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ XV. pag. 51.* nihil dicit, si adstruat, interpretandum id tantummodo esse, de Croatia & Liburnia, tanquam partibus peculiaribus, Regni Dalmatiæ, haud vero de Dalmatia ipsa, quæ proprie

proprie sic dicta, simul cum præcipuis urbibus, Jaderæ, Spalatro & Tragariæ, in dominio Græcorum utique perstitisset; vi cujus dogmatis, multa quoque evanescere dubia, asserit. Sed hæc suo utique destituuntur fundamento, ac magis adhuc vellicantur, si inspicias, quæ de Liburnia docet *Poeta Saxo, ad a. 874. pag. 162.* ibi:

Arva Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Histro,
Nec non Dalmatiam subdidit & Daciam.

Porro id extra omnem ponitur dubitationem, si edoceamus, Cæsares Occidentis, Principes Dalmatiæ propria constituisse autoritate, atque elegisse; ut inprimis commonstrat id atque docet *Auctor Vitæ Ludovici, pag. 376. Inter hæc Borna, vita privato, successorem ei constituit, Imperator nepotem suum, Ladasdeum.* Conf. *Annal. Laurisheimenses, ad a. 821.* ubi: *Interea Borna, Dux Dalmatiæ atque Liburniæ defunctus est, & petente populo, atque Imperatore consentiente, nepos illius, nomine Ladasclavus successor ei constitutus est.* Multa adhuc exempla in medium adducere possem, quæ dominium Cæsarum Occidentis in Dalmatia, iis temporibus, evidentissimum satis declarant, si ulla ratio id suaderet. Sed sufficit manifeste commonstrasse, Cæsari Occidentis, qua Dalmatiæ supremo domino, Maris Adriatici Dominium de jure fuisse vindicatum. Ac his satis evictis, non video, qua ratione *Auctor* adstruere possit, Mare Adriaticum tempore usurpationis ab Venetis factæ, domino suo fuisse destitutum, adeoque pro re derelicta, atque nullius habitum esse. Num Dalmatia, Principes tam primum ab Imp. Orientis, quam postea a Cæs. Occidentis constitutos haud habuit? Num ad Imp. Orientis, Dalmatia nempe recuperata, Maris Adriatici Dominium iterum reversum, haud tuiti sunt? Num Dalmatia a Regibus Hungariæ occupata, ii imperium Maris Adriatici prorsus sunt neglecti? Certe hæc nunquam ex Historicis probatis, omnique fide dignis esse evincenda, adeo perspectum est, ut nullis amplius indigeat probationibus, ad id edocendum. Quo fundamento itaque Mare Adriaticum pro re derelicta tunc temporis ab aliquibus proditur? Quare inanis omnino est prætextus, quem obtendunt Veneti, sese nempe

Mare Adriaticum ut rem, temporibus illis, nullius, optimo jure occupasse, legitimosque ejus evasisse dominos. Id, quod vel ex his affatim satisque constare potest. Ad quod accedit, quod nec conveniant inter sese Scriptores, quonam tempore Maris Adriatici Dominium Veneti adfectarint. [illegible]*ctoris* opinionem, tempore exitii Imperii Orientis id factum esse, jam exposuimus; sed neutiquam eandem probatam deprehendimus, quare nullam meretur fidem. Aliqui vero cum ipsis urbis primordiis, dominium maris sibi adseruisse Venetos, produnt; Vid. *Franckenberg.* im Europäischen Herold. *P. II. p. 512.* Sed haecce opinio merito est rejicienda, cum nullo gaudeat fundamento; id, quod ex eo elucet, cum manifestum sit, Venetos Imperatores Orientis per longum temporis spatium dominos salutasse. Unde colligitur, eos tunc tanta haud polluisse potentia, ut Dominium Maris Adriatici adfectare, atque Imp. Constantinopolitanis eripere potuissent. Paruisse vero Imp. vel constat ex Epistola Sanctionis atque fundationis Monasterii S. Georgii, Venetiarum erecti, apud *Ferdinandum Ughellum, T. V. Italiæ Sacræ fol. 1272.* & *Joannem Mabillonium, T. IV. Annal. Ordinis S. Benedict. L. XLIX. n. XXIII. p. 12.* ibi: *Anno ab Incarnatione Christi DCCCCLXXXII. imperantibus dominis, Vasilio & Constantino, Fratribus, populo Romano magnis & pacificis Imperatoribus, anno autem Imperii eorum, post obitum Joannis Cimisteii. XI. mensis Decembris. d. XX. indict. XI. &c.* Nimirum & Cæsaribus Occidentis fidem præstitisse, compertum est. A. etenim 806. Duces Venetl, *Wilbarius* & *Beatus*, in clientelam sese & fidem *Carolo M.* dicarunt, ubi simul ipsis Ordinationem de Ducibus ac populo injunxit. Et cum Veneti varias contra Francos excitarent turbas, *Pipinus a. 810.* Venetias obsidione cinxit ac occupavit. Vid. *Egolismensis, p. 63. Pipinus Rex perfidia Ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra marique jussit appetere, subjectaque Venetia, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis.* Porro *a. 810.* Carolus M. Venetias *Nicepboro* restituit; qui vero *Croatiam* & *Liburniam* ipsi reliquit. Ac a. 811. Dux Venetus, *Wilbarius*, imperio regis sui non parens, ad expressum manda-

mandatum *Caroli* ad dominum suum *Nicephorum* Constantinopolin missus est. Vid. *Annal. Laurisheimenses ad a. 811.* ibi: *Pacis confirmandæ gratia Legati Constantinopolin mittuntur - - - & cum eis - - - Wilbarius Dux Venetorum, - - - qui propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolin ad dominum suum duci jubetur.* Id quod irrefragabile atque apertum est argumentum, Venetos haud fuisse exemtos; sed iis temporibus & Cæsaribus Occidentis, potissimum vero Imp. Orientis fidem atque obedientiam præstitisse. Quare irrita infirmaque sunt, quæ adstruit *Carolus Sigonius L. IV. de Regno Italiæ, p. 100. & p. 103. Venetos, inter utrumque Imperium positos, liberos atque immunes, & ab utroque Imperatore securos vixisse, & a. 812. novo pacto libertati atque immunitati Venetorum inprimis fuisse cautum.* Qua in re *Theodorus Graswinckelius in libertate Veneta contra Anonymum* scrutinii Auctorem asserta, §. 29. p. 188. 90. sqq. multique alii *Sigonii* sententiæ accedunt. Sed in sole caligant omnes ii, qui tale ferunt judicium. Pariter *Schilterus* supra adducta momenta haud æqua lance pensitavit, dum putat, Venetos quidem aliquo modo nexu subjectionis cujusdam fuisse solutos, tamen utrumque imperium, præsertim occidentale, colere debuisse. Ita enim scribit *T. I. Instit. Jur. Publici, L. IV. Tit. ult. §. XLI. p. 450. Etsi forte utrumque Imperium comiter observare debuerunt Veneti, magis tamen occidentale, quippe cui & ratione rerum ibi sitarum obstricti.* Cum itaque ex hisce eluceat, Venetos Imp. Orientis potissimum, partim vero & Cæsaribus Orientis, temporibus proditæ usurpationis dominii in Mari Adriatico fuisse subjectos, immo cuilibet exigua Venetiarum constent primordia: nemo certe harum rerum peritus opinioni illi, vi cujus, statim cum Venetiarum instauratione Maris Adriatici, dominium sibi vindicasse Venetos, adstruunt, calculum suum adjicere potest.

Pos. LXX.

Satis vero evictum esse puto, de via veritatis eos valde declinare, qui usucapionem maris vel ab initiis Venetiarum, vel

aliunde

aliunde petunt. Oſtendimus quoque, titulum occupationis perperam ab Venetis opponi, cum Mare Adriaticum domino ſuo legitimo nullo tempore fuerit deſtitutum, adeoque pro re nullius haberi haud potuerit. Sed, cum quidam Scriptores nihilominus ſententiæ ultimæ acriter inhæreant, pauciſſimis adhuc falſitas ejus dogmatis erit commonſtranda, & quæ §. præced. commonita, adhuc ſupplenda. Fovent vero opinionem illam, inprimis *Fra Paolo Sarpi del Dominio de Mare Adriat. della Sereniſſ. Republ. di Venetia; Pacius, de Domin. Mar. Adriat. Amelot de la Houſſaie en l'hiſtoire du Gouvernement de Veniſe, p. 428. ſqq.* Penſitemus itaque 1.) Maria quidem occupari poſſe, i. e. in poteſtatem redigi naturaliter, perinde ac terras, ita ut natura poſſe maris, ullo modo repugnet, quanquam *Grotius Tract. de Mar. Lib. it. L. de J. B. & P. L. II. C. II. §. 3.* diſſentiat, ullo vacat dubio: conſtat vero quoque, quod dominium alicujus rei præpoſtere aſſeratur, antequam ſcit, revera derelictam, ſc. animo eam non amplius habendi relictam eſſe; *l. 2. pro derel. §. 47. d. R. D.* Cum itaque haud edoceri poſſit, Mare Adriaticum vel ab Imp. Orientis, vel ab Regibus Hungariæ, qua Dalmatiæ Regibus plane fuiſſe derelictum, omnique privatum tutela, niſi omnem fidem Hiſtoricam negare velimus, evidentiſſimum eſt, occupationem illam, ut factam in re aliena irritam eſſe atque invalidam, nulloque penitus jure fuiſſe factam. 2.) Inprimis notandum, Venetos parte aliqua maris, & quidem ea, quæ eſt inter Ravennam & Aquilejam ab Imperatoribus Orientalibus impetrata, tunc demum Dominium Maris adfectaſſe, ac denique diſſidiis inter Dalmatiæ ac Hungariæ Reges exortis, aliisque turbis, vero utique ejus domino adhuc exiſtente, ex uſurpatoria autoritate Dominium Maris Adriatici pleniſſimum ſibi temere adrogaſſe. Non habent itaque, quo hocce ſeſe inniti poſſent fundamento Veneti, nec Scriptores magno ſeſe gaudere argumento perperam prodere debent. Sed omnia hæc ita ſunt evicta, ut hoc loco ampliori indagatione optime vacare poſſimus, nec modeſtia admittit, nobis obſervanda, quæ in eo utique conſiſtit, ut patientia Lectoris in re tam aperta haud abutamur.

Poſ. LXXI.

Pos. LXXI.

Lubenter quidem *Auctoris* rationes ejus afferti, quas reticet, ex Scriptoribus vero *ipsi* cognitas, perspectas habere vellem; sed cum facili modo colligere possim, illas haud majori, ipso afferto, gaudere fundamento, easdem aliis scrutandas relinquimus, inprimis cum ampliori rei indagationi insistentes, imbrem modo in cribrum gerimus. Certe, si Historicos talia afferentes percurras, ac, in quo potissimum versantur, notes, eos fuisse venales, atque adulandi laborasse libidine, facile compertum habere poteris. Hi, si politica tradunt, Rempublicam quandam constituunt in äere, cujus speciem nemo quisquam post homines natos vidit. Qui viri, si extra chartas & libros, quibus impallescunt, evocentur, næ illi quadam vertigine laborare, & in ignoto orbe posuisse pedem suum videbuntur. Ast, qui res in orbe gestas memoriæ tradunt, qui non acta modo eventusque, sed consilia quoque rationesque & causas exponunt, ii demum & prudentiæ veri parentes sunt, & bene de mortali genere merentur. Exiguus vero horum numerus cuilibet Scripta Historicorum sollicite pervolventi, constat. Maximos itaque in errores rapiuntur omnes ii, qui cuilibet Scriptorum promiscue assentiunt atque applaudunt, antequam de autoritate illorum, ac de affertis ab iis defensis, edocti certioresque sint facti. Num in eo *Auctor* non offenderit, aliorum remitto judicio; nec subest causa, quare dicam, cum id quilibet ex ejus affertis dignoscere facile atque dijudicare possit.

Pos. LXXII.

Porro vero causam Venetorum tanquam justissimam commonstrare, studet *Auctor*, atque molitur, si hæc quidem proferat: Venetos, posteaquam Maris Adriatici Dominium essent consecuti, præsidia atque potestatem ejus auxisse, amplificasse & proterminasse, dum magnis cum impensis, ac cruentis luctuosisque victoriis multas exstruxerint classes, quibus cunctas piratarum,

 ut &

ut & Italorum vicinorum injurias propulsare potuissent. Verum enim vero, falsa cum *Auctor* præposuerit, hæc, quæ ex iis deducit, etsi de veritate illorum haud dubitare velim, argumento tamen esse non possunt. Etenim 1.) pro re evicta venditat, Venetos Dominium Maris Adriatici juste legitimeque usurpasse, id quod ex supra adductis patescere putat. Sed id ipsum est, de quo quæritur, nec uti jam commonuimus, ex iis, quæ *Auctor* protulit, fuit erutum, nec ex Historicis, ad quos provocat; commonstratum, adeoque ex hypothesi nondum probata, necessario vero antea evincenda, porro haud argumentari, eandemque aliis rationibus confirmare potuit. 2) Valde incongrue hanc adducit rationem: Cum Veneti Mare Adriaticum instruxerint præsidiis, potestatemque ejus amplificaverint: itaque vel ex hoc momento Venetis Dominium Maris legitime competere, opinatur. Num vero dominium alicujus rei legitime acquiritur, ac ex eo probandum, ut in mea sit potestate, atque præsidio meo gaudeat? Certe, si de dominio universali ac indefinito hæc adstruas, ea libentissimus largior. Deus etenim res omnes non huic aut illi concesserat, sed humano generi, atque eo modo plures in solidum ejusdem rei domini esse, non prohibebantur; quod si vero hodierna significatione sumamus dominium, hæc non nisi temere atque inepte asseras. Hoc enim concernit proprietatem, quæ tunc erat penes neminem; Unde *Avienus* apte scribit: - - - *Omnia rerum,*

Usurpantis erant.

Proprium autem esse significat, ita esse cujusquam, ut & alterius esse non possit. Cum vero Dominium Maris Adriatici Venetis nunquam legitime fuerit proprium, nec ex justa causa ab iis acquisitum: Sane tutela maris atque classium exstructio haud sufficiunt, ut Veneti dominium alienum sibi adrogare atque vindicare potuerint. 3.) Qua ratione ab impensis maximis, quas Veneti in classes fecerunt, ad ipsum Maris Dominium ideo occupandum, argumentari potest? Certe cum finis Venetorum, nempe quod mare legitimo domino eripere, sibique adserere voluerint, fuerit

fuerit illicitus; media quoque, quibus illum obtinuerunt, nullo jure fuerunt adhibita; adeoque non video, cur, ratione expensarum, quas in rem illicitam, nempe privationem alieni dominii impenderunt, Imperium Maris Adriatici de jure sibi adsciscere potuerint. Ad quod accedit, quod, ut *Auctor* ipse fatetur, Veneti piratas ac Italos vicinos debellantes damna illa sint perpessi. Quid vero hæc Reges Dalmatiæ attinuit? vi belli nunquam contra illos neque speciem quidem dominii obtinuerunt, sed potius sese semper in possessione Maris Adriatici sunt tuiti, ac usurpatione ejus ab Venetis facta, nunquam illud vel Venetis adjudicarunt, vel per pacta ipsis reliquerunt. Conf. *quæ supra contra Venetorum argumentum, quòd de jure belli Dominium Maris sibi competat, fuerunt commonita.* In specie vero ad ea, quæ ratione exstirpationis piratarum *Auctor* prodit, hæc veniunt reponenda, ut, cum Venetorum in eo ipsa versaretur utilitas, ne ab iis piraticis infestarentur sceleribus, ac commerciis eorum plane eversis, ipsam Venetiarum urbem petere atque invadere possent. Quo itaque jure res suas bono atque amplo auctare lucro, cum alterius damno potuerunt? Certe nullo. Nec in officii quasi compensationem Maris Adriatici Dominium, absque legitimi domini consensu, sibi adserere potuisse Venetos, manifestum est. Efficitur vero simul ex hoc *Auctoris* asserto, Belgas atque Hispanos, dum saluberrimo certe consilio, Algeriæ atque Tripolis piratas debellare, ac ad tuenda commercia penitus eos exstirpare velint, iis devictis atque exstinctis, in compensationem perfecti hujus instituti, Maris Mediterranei Dominium pariter nancisci debere. Sicuti vero talis acquisitio Dominii Maris, utpote juri gentium, ac receptis inter eas consuetudinibus, prorsus contraria, sane est inaudita; adeoque ratiocinatio a prædarum exstinctione ad adquisitionem Dominii Maris facta, incongrua facile apparet, immo inepta: ita & *Auctoris* argumentatio, eodem fundamento innisa, haud melioris erit farraginis. Cæterum contra *Auctoris* assertum utique etiam est commonendum, quod exstirpatio prædarum ad conservanda commercia maxime necessaria,

G 3 adeo-

adeoque Regibus ac Principibus, immo quibuscunque Magiſtratibus eadem incumbat, nec de Dominio Maris adfectando ullo jure inſtitui poſſit. Id ex eo ſimul pateſcit, quod ex neglectu teneantur Reges, vel Magiſtratus, qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibent ea, quæ poſſunt ac debent remedia, quo nomine damnati olim ab Amphityonibus, Scyrii, ut commemorat *Plutarchus in Cimon. p. 483. C.* *Grotius* quoque par ejus rei adducit exemplum, *L. II. Cap. XVII. §. XX. d. J. B. & P.* Facili denique modo ſunt confutanda, quæ de bellis graviſſimis contra Italos vicinos geſtis, victoriisque reportatis venditat *Auctor.* Hæc etenim, cum ad Venetorum potentiam nimis emergentem, debilitandam erant directa, ac hi Maris Adriatici Dominium nullo quoque jure adfectare, ſibique vindicare potuerint: certe eos nec Venetis illud relinquere, nec iis devictis, titulo belli ſibi adſcribere Maris Adriatici Dominium potuiſſe, Venetos in aprico eſt.

Poſ. LXXIII.

Fruſtra vero iterum ad auctoritatem *Scriptorum* provocat *Auctor:* hoc nempe aſſerto ſuo multos applaudere Hiſtoricos & Chronographos, qui in maxima fuerint conſtituti celebritate. Duos quoque eorum tandem commonet *Leandrum* ſcilicet, quem principem Scriptorum Italicorum ſui temporis prodit, & *Sabellicum*, qui varia de Venetorum Republica in lucem edidit. Sed præterea, quod falſitas ſententiæ *Auctoris*, cum ſatis ſit evicta, ſæpius jam fuit declaratum, Auctores utpote partibus Venetorum adſcriptos, huc nihil probare; & adhuc confiteor, merum Scriptorum aſſenſum in re tanti momenti explananda, nihil evincere, nec jus ſummi cujusdam Principis temere intervertere poſſe. Ut id eo magis eluceat, ea, quæ ad ſobriam Hiſtoricorum lectionem, ac ſparſam iis habendam fidem veniunt obſervanda, huc notemus. 1.) In perveſtigandis Hiſtoricis nimiam credulitatem utique eſſe removendam, niſi quis velit in errores induci, ita, ut quæ incerta, immo falſa ſunt, pro genuinis deinde venditet,

mani-

manifestum est. 2.) Falsa vanaque eorum est opinio, qui autumant, de iis, quæ proferunt Historici, plane non esse dubitandum. Dum enim sibi persuadeant, in bonum virum non cadere suspicionem, quod studio ac e proposito in errores alios deducere velit, omnia, quæ in iis deprehendunt, approbant atque defendunt, etsi a veritate longe sint aliena. 3.) Compertum est iis Scriptoribus, qui vel patriæ tradiderunt res gestas, vel ad beneplacitum Regis, Principis, Reipublicæ &c. auri splendore correpti, scripta sua concinnarunt, vel etiam, qui timore, ne Principis gratia privarentur, coacti, veritatem profiteri haud potuerunt; vel denique, qui spe adipiscendi summos honores nutriti, monumenta composuerunt, non nude esse assentiendum, nisi ex Scriptoribus coævis, fide dignissimis, de hujus vel illius assertis, quam certissime constet. Ex quibus facile colligitur, quod, cum *Auctor* causam Venetorum acriter propugnet, studio itaque partium laboret, ac tales in auxilium vocaverit Scriptores, qui ejusdem cum eo sunt sententiæ, omnibus iis Historicis nulla sit habenda fides. Ad quod accedit, quod *Leander* sit Scriptor valde obscurus, nullaque polleat autoritate, adeoque facile pateat, causam Venetorum absque sufficienti fundamento temere defendisse. Ex Scriptis quoque *Sabellici* quilibet cognoscit, Reip. Venetæ causam qualibet ex parte approbasse eum, pro eaque pro aris & focis certasse. Scripsit vero *Historias Rerum Venetarum, Lib. XXIII. ad annum circiter 1490.* Quare Historicis illis, exemplo Auctoris, haud inhæreamus, sed eos potius sequamur, qui res gestas incorrupte atque antiqua fide tradunt.

Pos. LXXIV.

Mirifice vero causæ Venetorum consulere putat *Auctor*, si porro ex Historicis evincere velit, Venetos per CCC. annos vectigalia ab navigantibus exegisse, immo eosdem contra quascunque prædarum infestationes reddidisse securos. Sed 1.) quod spectat ad exactionem vectigalium, eandem Venetis nullo jure competere, nec doceri posse, Reges Dalmatiæ ea ipsis præstitisse,

§. LXVII.

§. *LXVII.* sat docuimus. Quibus addo, quod etsi alii Principes, pro liberæ navigationis exercitio, Venetis præstiterint telonia, id tamen Regis Dalmatiæ juri legitimo haud obesse, nec quicquam ei derogare posse, quilibet facile perspicit. Minus etenim dubii habet, *actum unius Principis, alteri non nocere.* Cujus rei æquitas ex *l. 63. ff. de re jud.* potest explicari. Sicut enim uno cohærede in judicio victo, sententia non nocet, in eadem causa hæredi alteri, qui non litigavit, etiamsi cum cohærede suo agi sciverit, sed actionem ex sua persona integram ei relinquit, ea ratione, quod propria cujusque cohæredis sit actio atque defensio, nec unus prohiberi possit, quo minus alter ea utatur, ideoque iniquum foret, condemnationem illius mihi, qui jus meum nondum sum expertus, præjudicare: eodem modo, si Principes, unus vel alter, juris sui parum tenaces fuissent, aut publica disceptatione cessissent, eos liquet cæteris, suarum rerum satagentibus, non esse nocituros, quibus ex propria persona, experiundi juris facultas est, ab altero non dependens, quare effectus ejusmodi actus onerosi personam illorum, in quibus observatus est, non egreditur, quod *publica* quoque *praxi* satis confirmatur. Sic itaque Belgæ Regem Moscoviæ Dominum Maris Balthici (id quod novissime ab iis exegit) salutare quidem possunt; salvis tamen Regum Angliæ, Daniæ, Sueciæque, integrisque juribus. Ita & Belgæ Regi Russiæ titulum Imperatoris concedunt, ut & alii adscribere ipsi possunt, salvo tamen tam Cæsaris, quam Sac. Rom. Imperii, illibatoque jure. Conf. *Auct.* **des Politischen Bedenckens, über die Frage: Ob dem Czaarn von Rußland, ohnbeschadet Käyserlicher Majestät und des Heil. Röm. Reichs Würde,** *Prærogativ &c.* **der Titul und Nahme eines Käysers zu** *communici***ren**, *pag. 65.* §. *XIX.* Porro hæc magis sunt perspicua, atque apparent in præcedentia Legatorum dubia. Sic cum superioribus comitiis Legati quorundam Electorum ante Palatinum, eo etiam argumento, locum prætenderent, quod exempla in hanc rem aliqua extarent, adversus illos tantum, qui concesserunt, allegari, tertio vero obesse minime posse, Serenissimus

Elector

Elector regessit. Eandem exceptionem pacificationis Westphalicæ tempore Legatis Electorum secundariis, primarios Principum præcedere volentibus oppositam, testatur *Kulpis. de Legationibus Statuum Imp. Cap. XX. §. XII. p. 579.* 2.) Quod vero ad alterum attinet momentum, facile quidem largior, Venetos navigantibus, contra injurias prædarum, præstitisse auxilia: Sed eandem ipsam auxilii præstationem, dominium Venetorum in Mari Adriatico probare ac ostendere, (ut *Auctor* quidem putat) id nulla ratione assequi possum. Elicitur ex dogmate hoc, quod si ex titulo illo dominium acquiri possit, omnia Regna, omnesque Provincias iis cedere debere, qui huic vel illi Regi ac Principi præbuerunt auxilia; id quod vero sanis Juris Naturæ Gentiumque repugnat principiis. Docet enim Jus Naturæ, auxilia vicinis utique esse præstanda, prætextu vero horum dominium esse adfectandum; id certe, ut iniquissimum principium a sobria ejus doctrina longe est remotum. Exempla quidem extare, quæ declarent, eos, qui auxilia vicinis suis præbuerunt, ipsorum provincias occupasse, haud negaverim: Sed si omnia, quæ fiunt, approbare, nec æquitatem, receptaque jura spectare velis, certe iniquissima, immo absurdissima adstruere non nisi poteris dogmata. Id quidem certum est, auxilii præstationem amicitiæ quadam ratione aliis deberi, si facile & sine incommodo exhiberi possit. Sic Antiatibus præceperunt Romani, ne in Græcos, utpote Italorum cognatos, piraticam exercerent. Vid. *Strabo Geogr. Lib. V.* Latissime quoque patens est hominum inter se conjunctio, quæ vel sola ad opem ferendam sufficit. Homo etenim in adjutorium mutuum generatus est, ut ait *Seneca de Ira Lib. I. Cap. V.* Itaque cum meræ civilitatis ac naturalis æquitatis sit, auxilium vicinis atque amicis suis præstare, certe privatio provinciarum, vel adfectatio dominii alicujus rei, ab eo, qui auxilia præbet, non nisi inique atque animo hostili perficitur, adeoque ut hostis est propellendus. Venetis quidem merito in laudem vertitur, quod navigantibus suis succurrant præsidiis, sed eos in compensationem quasi Maris Adriatici Dominium sibi vindicare, id merito est

 repro-

reprobandum, nec Regibus Dalmatiæ de jure suo meliori quicquam derogare potest. Et num Veneti de Regibus Dalmatiæ, ob auxilia ipsis præstita, ita sunt bene meriti, ut hi Maris Adriatici Dominium in compensationem illius officii ipsis potuerint relinquere? Certe hæc aliter constant. Cum etenim diffidiæ haud exiguæ inter Reges Dalmatiæ Venetosque sint ortæ, ac hi jam dudum machinati, ut totum regnum Dalmatiæ Regibus eriperent: hinc manifeste colligitur, auxilia ab Venetis præstita, si quæ fuerint, vel valde fuisse sparsa, vel plane nulla. Et si quoque maxima fuerint, tanta tamen haud esse potuerunt, ut in pensitationem totius Maris Adriatici Dominium ipsis fuerit relinquendum; nec hoc intuitu id, inquam, Reges Dalmatiæ apud animum suum statuisse novimus. Tamen unicum illud pro causa Veneta militans argumentum sufficere, ad omnes objectiones eludendas, quam certissime sibi persuadet *Auctor*. Hinc Sycophantas omnes illos declarat, qui de imperio Venetorum in Mari Adriatico legitimo unquam dubitant. Vix vero a felicis cerebri viro tanta præcipitantia atque immaturitate conceptum judicium exspectaverim. Præterea nec *Auctor* æqua pensitavit lance, medium eruendæ veritatis in eo haud esse constitutum, ut eos, quos de justitia ac veritate causæ a nobis defensæ convincere volumus, maledico carpamus dente: Sed potius nos deceat, eo allaborare, ut æquitatem ac justitiam ejus, quam defendimus, causæ, validis firmisque evincamus argumentis, eosque, qui a recta regiaque veritatis via aberrant, ad purissimam ejusdem lucem, modeste atque modulatiori animo perducamus. Ultimum pessimæ causæ refugium plerumque notatur, si prægnantibus destituti rationibus probationibusque ad convicia confugiunt, iisque viros honestos probosque prosequuntur. Nostri vero instituti ratio haud patitur, ut *Auctoris* exemplum sequamur: cum titivilitia illa, cum aliis iis infestis, merito despiciamus, ac pro nihilo putemus.

Pos. LXXV.

Tandem vero *Auctor* autoritate Scriptorum hactenus innisus, eandem rem haud perfici, ipse fatetur, si ita se explicet: Possit

Possit quis objicere: Historicorum autoritatem in hoc casu parum vel nihil probare, dum experientia edoceat, quosdam amore sæpius vel inimicitia adductos, alios rursus spe munera vel honores consequendi, nutritos, aliquos vero, pessima adulandi libidine laborantes, in hujus vel illius favorem hoc vel illud jus atque imperium propugnasse, summisque extulisse laudibus; Quare maximi ponderis argumentum sibi proferre videtur, si pergat: Optime pensitandum esse, memorabilem illum ac fide dignissimum actum a Papa *Leone*, in Concilio *a. 1274.* ab eo instituto, celebratum. Cum etenim Abbas Nervesanus, Nuntius Apostolicus, Anconiensium prætensionem, liberam concernentem navigationem proponeret, eandemque omni modo urgeret: confestim ac absque multa antecedente disceptatione, per oraculum quasi pronunciatum fuisse, atque decretum illud petitum, invalidum nullumque esse, adeoque rejiciendum, planeque removendum. Sed Actum illum ab *Auctore* recensitum, nec pro Venetorum dominio legitimo in Mari Adriatico militare, nec Regibus Dalmatiæ obesse posse, variis edoceamus rationibus. 1.) Ex rerum Annalibus quam certissime constat, circa annum 1274. nullum fuisse Papam, nomine *Leonis* insignitum. Hinc *Auctorem* in eo fefellit opinio, ut *Leonem* Papam a. 1274. Concilium convocasse adstruat. Compertum vero est, temporibus iis sedem Papalem obtinuisse *Gregorium X.* alias *Theobaldum de Piacenza*, dignitate Papali per duos annos vacante, tandem electum. Hic vero a. 1274. Concilium *Lugduni* in Gallia (Lyon) convocavit, & appellatur *Lugdunense II.* quod inter alios, Alfonsi Regis Castiliæ, & Ottocari, Regis Bohemiæ, Legati præsentia sua sunt celebrati, in id, ut Cæsaream dignitatem temporibus iis, ab Papa dependentem, ab ipso contenderent. Vid. *Siffridus Presbyter ad a. 1274. Marian. de reb. Hispan. L. XIII. C. XXII. Werner. Rolfinck Fasc. Temp. p. 81.* 2.) Marchiam Anconitanam olim *Picenum*, nunc *la Marca de Ancona*, quæ hoc nomine gaudet propter *Anconam*, urbem littoralem, & propter commercia, quæ ob portus opportunitatem hic exercentur satis celebrem, ad provincias

Pontifici Romano ſubditas pertinere, ex Geographicis pateſcit. Quanquam Marchiones Anconitani ſint Vaſalli Imperii, ut teſtatur *Paulus Gerzweilerus*, qui ad inquirenda Italiæ Feuda mittebatur, atque eorundem longum recenſet Catalogum, qui extat apud *Itter. de Feud. Imp. Cap. VI.* Conf. *Leopoldi Imp. Edictum ad omnes Italiæ Vaſallos, a. 1697. directum*, quo ipſis præcipit, ut juſtam deſignationem Feudorum atque Jurium ſuorum exhibeant, quod reperitur apud *Lünig. II. Cont. III.* Fortſ. *p. 679.* Iis temporibus jus decernendi, promulgandi, confirmandive, in Conciliis fuiſſe penes Papam, id inter alia ex eo elucet, ut Rudolphum Habsburgicum propria autoritate in Cæſarea confirmaverit dignitate; vid. *Czerwencka L. I. C. IV. & VI.* ac reliquis Regnum Germanicum aſpirantibus dederit repulſam. Inprimis *Jacobus*, Arragoniæ Rex, diſceſſit iratus, de non impoſita ſibi a ſummo Pontifice, *Gregorio*, Regni Corona, nec imponi promiſſa, niſi vectigali perſoluto. Status enim eorum temporum erat corruptiſſimus, ac Papæ poteſtas ad ſummum fere culmen evecta, ita ut pro lubitu ſuo Cæſari præſcribere poſſet conditiones, quas vellet, iisque non adimpletis, eundem in bannum declarare, ut id ab eodem *Gregorio* in *Rudolphum* factum eſſe, teſtantur *Naucler. Geneal. 43. Ricordano Maleſpin. Hiſtor. Florentin. cap. 99. Villani Hiſt. Florent. Lib. VII. Cap. XLIV. Autor des Droits de l'Empire ſur l'Etat Eccleſiaſt. Cap. XXIV. Tritbemius in Cbron. Hirſ. ad a. 1273.* Quomodo vero ſucceſſu temporum illa Paparum poteſtas excreverit, & quibus vitiis id contigerit, id vide apud *Puffendorff. in conſummatisſima ejus Introduct. ad Hiſt. Cap. XII. de Pontif. Rom.* in ſpecie *pag. 741. 772. 776. ſqq.* Hoc vero certum eſt, proprie jus convocandi Concilii generalis & præſidendi, immo & deliberandi, decidendi ac promulgandi, penes ſummam Cæſaream eſſe poteſtatem, quicquid alias pro Papa nugantur, fabulanturque Scriptores Pontificii. Quare Pontifex Romanus univerſalem dominatum, omniumque Epiſcoporum & Clericorum ſubjectionem injuſte adfectat. Cum hi potius ſeculari poteſtati pareant, neceſſe ſit, cui omne Sacrorum Jus jure competit. Hinc in

Conci-

Concilio Constantinensi, tum & Basileensi, contradicente licet Papa, communi Concilii suffragio constitutum fuit, *Concilium esse superius Papa.* His itaque præmissis, facili modo commonstrare poterimus, Actum illum, quem *Auctor* prodit, suspecti laborare vitio, ac de celebratione ejus in Concilio antea commemorato facta, valde esse dubitandum. 1.) Vel *Auctor* aliud innuere voluit Concilium, vel errorem, in Papæ nomine commisit. Quod vero Concilium illud a *Gregorio X.* Lugduni celebratum, indicaverit, id vel ex eo constat, quod id a. 1254. institutum asserat. Cum igitur Concilium recte significet, maxime vero in eo erraverit, ut *Leonem* pro *Gregorio X.* id celebrasse adstruat; certe non possumus non de veritate Actus illius in Concilio celebrati valde ambigere, ac colligere, *Auctorem* ipsum de eo non satis fuisse instructum, certioremque factum. Ad quod accedit, quod, cum varii sedem Papalem conscenderint Pontifices, nomine *Leonis* præditi, Auctor haud exprimat, quem putet. Etenim *Sec. V. Leo I. Sec. VII. Leo II. Sec. VIII. Leo III. Sec. IX. Leo IV. Sec. X. Leo V. Leo VI. Leo VII. Leo VIII. Sec. XI. Leo IX. Sec. XV. Leo X.* Pontifices Romani fuerunt electi. Et quod præcipuum est, nullum eorum convocasse Concilium, constat. 2.) Cum Marchia Anconitana Papæ fuerit subjecta, adeoque ipsius intersit, ut commercia subditorum efflorescant, atque amplificentur; certe a veritate longe abhorret, Papam contra proprium suum pronuntiasse commodum, atque Anconiensibus liberum navigandi exercitium in Mari Adriatico esse denegatum. Ac inprimis, cum ipse Nuntius Apostolicus, Abbas Nervesanus, id maxime efflagitaverit, (ut ipse *Auctor* fatetur) quis Paparum potentiam iis temporibus scrutatus, ac de perpetua eorum concupiscentia atque adspiratione divitiarum avita edoctus, falsam hancce sibi persuasionem induere poterit, Papam proprio suo neglecto, spretoque emolumento, in favorem Venetorum, tam sancte atque religiose, tale decretum definiisse? 3.) Cum nullo penitus contradicente, omnia, quæ a Papa fuerant decreta, valida erant atque efficacia, ac quæcunque ad nutum ejus directa, immo

Reges ac Principes dignitates honoresque ab ipso contenderent: quis artes Pontificias paululum rimatus, id animo concipere possit, ut Papa in hoc casu potestati atque auctoritati suæ vim intulerit? Hæc vero indubitata certaque sunt criteria, quæ evidenter declarant atque commonstrant, Actum illum ab Auctore proditum, fictum esse atque suppostitium; adeoque dominium Venetorum adfectatum in Mari Adriatico nihil plane adjuvare posse.

Pos. LXXVI.

Sed puta, Actum illum ab *Auctore* proditum, vere fuisse in Concilio a Papa celebratum, nullamque pati exceptionem, tamen decretum tale Pontificis esse irritum, nec causam Venetorum evincere posse justam, luculenter ostendamus. 1.) Haud animus est, disceptationem de potestate Pontificis, nempe Episcopi Romanæ Ecclesiæ fuse huc investigare, cum id sit jam ab aliis de Pontifice, ejusque dignitate auctoritateque sollicitis, peractum. Ast hypothesin illam solummodo, quam eruditissimi inter ipsos Pontificios homines confitentur, & qui plurimum Pontificiæ tribuunt auctoritati, exponam, quæ eo redit, ut affirmem: *Pontificem non esse dominum civilem aut temporalem totius orbis.* Sola enim Papæ jurisdictio in spiritualibus constituitur, nec quandam in temporalibus sibi arrogare potest, quam in quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionem, ut utriusque partis fautores ipsi confitentur. Et cum summus Pontifex Christi dicatur Vicarius, (nullum etenim jus aliunde habere potuit) eam temporalem jurisdictionem, quam Christus non assumsit, (id quod ex sacris paginis sat est perspicuum) non potest sibi adscribere, ut simul colligitur ex *c. solitæ de major. & obed. & c. duo sunt 96. distinct.* ubi summus Pontifex, qui se Imperatore majorem dicit, quia præest spiritualibus, non tamen negat, quin in temporalibus præcedat Cæsar. Fuse vero de hac re vid. *Vasq. C. XXI. Controv. illustr.* Ex hac itaque thesi, extra omnem posita dubitationem, hæc nascitur conclusio: Papam nullam in temporalibus juste exercentem jurisdictionem, Dominium Maris nemini

nemini in alterius præjudicium propria autoritate adjudicare, vel disceptatione de illo orta, absolutum concipere decretum, eandemque definire posse. Constituta itaque ad præsentem casum applicatione, hanc utique pronuntio sententiam: Quod Papa ad Anconiensium de libera navigatione in Mari Adriatico concedenda efflagitationem, ut nullam in temporalibus recte aspirans jurisdictionem, nec ipsis eandem adscribere atque adjudicare, nec per tale decretum Venetorum dominium in Mari Adriatico prætentum, confirmare ac corroborare, vi potestatis atque autoritatis suæ propriæ juste legitimeque potuerit. 2.) Cum decretum quoddam, si validum efficaxque esse velit, cunctis in Concilio præsentibus applaudentibus concipi ac definiri debeat; hoc vero (ut *Auctor* perspicuis tradit verbis) a solo Pontifice sit pronunciatum, id facile destruitur, si ut jam *§. præced.* quodammodo commonuimus, notissimam hanc huc repetamus thesin: Jus deliberandi & decernendi, ac promulgandi, confirmandive esse penes summam Reipublicæ potestatem, illudque libertatis, tam Ecclesiæ, quam Reipublicæ Germanicæ & utriusque unionis esse proprium, *Baluz. ad Agob. p. 29.* Neque igitur penes Pontificem; neque penes solos Episcopos est, sed penes Ordines ac Status utrosque & Sacros & Laicos, sive civiles, jam tum ab origine Regni Germanorum, & Teutonici sanguinis nationum. Receperunt etenim sese mutuo in societatem causarum, ad civilem pariter & ecclesiasticum statum spectantium utriusque generis Ordines, & utrumque causarum genus in iisdem conventibus tractarunt. Vid. *Concil. Arausicanum. Chalced. Act. I. Mogunt. Toletana. Francofurt. Aquisgranense;* multaque alia 3.) Largior quoque, communi Concilii applausu, decretum illud pro Venetis fuisse promulgatum atque confirmatum, id tamen sua destitui utique efficacia, vel exinde luculenter patescit, ut, cum de Dominio in Mari Adriatico huic vel illi adjudicando, ex instituto haud fuerit actum, sed tantummodo de libera navigatione, Anconiensibus concedenda, disquisitum, adeoque una alteraque parte inaudita, in favorem Venetorum pronunciatum:

tale

tale judicium, ut absque ſobria accurataque totius rei antecedente perveſtigatione, perſpectisque utriusque partis præcipuis rationibus atque argumentis latum, nullum exercere poſſit effectum, neque cujusquam jus ſuum legitimum intervertere atque labefactare. Sane in re tanti ponderis atque momenti ordine agendum eſt, atque tractandum, nec controverſia ſatis perſpecta atque ponderata, nec una alterave parte efflagitante, immaturum quoddam præpoſterumque conſtituendum eſt decretum, quale certe, non obſtante Concilii autoritate, ut ſummi cujusdam Principis optimo meliorique juri haud derogare, eique nec ullo modo obeſſe poſſit, manifeſtum eſt. Reges vero Dalmatiæ Concilii ſententiam de Dominio Maris Adriatici pronunciandam, nec contendiſſe, nec ea, jam dudum jurisdictione ſua legitima in Mari Adriatico evicta, indiguiſſe, nec denique in mentem ipſorum unquam veniſſe, Concilii decretum efflagitandi, cum anno demum 1103. Dalmatiæ Regno, Hungariæ annexo, Maris Adriatici Dominium Reges ſint nacti, quilibet facile cognitum perſpectumque habere poteſt. Conſtat etenim, Stephano extincto, ultimo Rege Dalmatiæ, hanc quoque in ſuam poteſtatem redegiſſe Colomannum, Regem Hungariæ. Quoniam Dalmatiæ acquiſitionem, cum *Archidiaconus in Salonitana C. XVII.* tum alii Scriptores adjudicent, Hungariæ Regi Colomanno, *Lucius Lib. III. Cap. IV. p. 115.* Ladislao Croatiæ tantum expugnationem adſcribit, ut Colomannus Dalmatiam retineat, initio addita Hungariæ. Verum populus forſitan Dalmata ab Hungaris defecit, quos Colomannus imperio ſuo iterum ſubjecit, ut jam nunc ab Hungaris ſubacti, atque devicti eſſe viderentur. Ex hoc vero tempore Dalmatiæ Regnum ab Orientali Imperio avulſum eſt, Hungariæque annexum, ut eundem cum hoc, Principem exinde cognoſceret. Cum itaque iis temporibus Reges Hungariæ Dalmatiæ Regnum demum occupaverint; certe de Dominio in Mari Adriatico tuendo ſemper fuerunt ſolliciti, nec ex Concilii decreto Venetis illud relinquere, unquam ſunt meditati.

Poſ. LXXVII.

Pos. LXXVII.

Ex his igitur sat potest intelligi, actum illum ab *Auctore* notatum, sive verum sive fictum, ad evincendum Venetorum Dominium in Mari Adriatico nihil adferre, neque jus Regis Dalmatiæ legitimum imminuere aliquo modo posse. Quare & facillimum erit, rationem illam, quam *Auctor* addit destruere, eamque irritam esse ostendere. Hæc vero ea est: iniquum esse, immo iniquissimum, quod Veneti, qui Mare Adriaticum contra Saracenorum prædarumque incursiones essent tuiti, maximisque impensis, in emolumentum atque securitatem totius Christianitatis vindicati, in legitima ejus possessione turbari deberent atque inquietari, optimoque suo jure, quo per tot annos, nullo penitus contradicente, essent gavisi, privari. Ast 1.) si de re quadam controversa disceptamus, contendimusque, eandem certe secundum regulas æquitatis, humanitatis, civilitatis, modestiæ, &c. expendere haud debemus, potius nos decet, de juris fundamento, quo huic vel illi adscribitur, dispicere. Illam enim, si in decidendis controversiis sequi velimus normam, vereor, ne sæpius ei, cujus jus perspicuum est atque apertum, illud auferatur, obtenta alterius æquitate, etsi revera non æquitas, sed species tantummodo ejusdem dici queat. Jura vero in hunc finem nobis sunt præscripta, ut iis ducibus atque auctoribus res atque controversias illustres sollicite inquiramus atque investigemus, ac secundum illorum normam æquam, rebusque obviis accommodatam sententiam dicamus. Quare & in præsenti materia non speciosam Venetorum æquitatem, quam præbent, attendamus, sed juris fundamenta potius, quibus Regibus Dalmatiæ Dominium Maris Adriatici juste tribuitur, sollicite perpendamus atque examinemus. Hinc frustra de æquitate causæ Venetorum contendit *Auctor*. 2.) Nec de æquitate, vi cujus dominium sibi adsciscere velint Veneti, satis liquet. Quod etenim Mare Adriaticum contra Saracenorum & prædarum incursiones sint defensi, id in proprium suum commodum atque emolumentum est

 factum,

factum, nec propter aliorum peractum securitatem. Cum etenim territorium Venetorum, Saracenorum atque prædarum incursionibus atque deprædationibus maxime fuerit obnoxium, eo utique operam impendere debuerunt, ut illud ab omnibus incursionibus tueri, atque sartum tectumque reddere potuerint. Vix itaque mihi persuadeo, illas Saracenorum atque prædarum debellationes in securitatem totius Christianitatis fuisse factas, ita ut in compensationem, communi ejusdem applausu, Dominium Maris Adriatici ipsis fuisset adjudicandum. Nec quisquam opinionem hanc animo suo imbibere poterit, Venetos in securitatem commodumque Regum Dalmatiæ Saracenos prædasque exstirpasse, cum continuæ inter eos intercederent discordiæ, Venetique omni tempore atque occasione machinarentur, Dalmatiæ loca præcipua maritima decerpere atque auferre. Quare certe nulla ratione æquitatis Reges Dalmatiæ adduci eo potuerint, ut Dominium Maris Adriatici ipsis relinquerent. Sed frustra de hac re huc contendimus, cum *Pos. LXXIV.* eandem jam excusserimus. 3.) Eadem est ratio eorum, quæ de impensis, quas Veneti impenderunt, venditat *Auctor*. Propria etenim, qui sua curat commoda, impensas quoque in ea factas, ut sustineat, necesse est, ac prætextu æquitatis obtento alter obstrictus teneri haud potest in id, ut eandem rem, in quam impensæ sunt factæ, ipsi relinquat, cum jus sibi legitime acquisitum, merito retineat. Quare & hoc a Regibus Dalmatiæ non potuit exposci, nec sub specie hujus tituli jus suum manifestum ipsis eripi. Frustra igitur argumentum hoc huc repetit *Auctor*, cum *Pos. LXXII.* id jam fuerit remotum. 4) Num vera sint, quæ *Auctor* de jure optimo, nullo contradicente, Venetis per tot annos competente jactitat, ex *Pos. LIX.* & *LXIV.* sunt confutanda. Sufficit vero hoc loco commonstrasse, nec Venetos sub specie æquitatis alicujus Maris Adriatici Dominium arrogare sibi posse, nec in controversiis illustribus scrutandis ac dijudicandis æquitatem solummodo esse respiciendam, sed juris fundamenta sollicite scrutanda, ex iisque jurisdictionem vel dominium summi cujusdam Principis evincen-

evincendum. Nec mihi persuadeo, (si sc. Actum ab *Auctore* supra commemoratum verum dicas) Papam in deneganda Anconiensibus libera navigatione pro Venetis hanc dedisse rationem ex æquitate accersitam; (ut tamen *Auctor* sibi certissime persuasum habet) Forsitan potius Papa, vi potestatis atque auctoritatis suæ, titulo donationis Maris Adriatici Dominium, ut Hispanis Americam, Venetis indulsit atque adjudicavit. Num vero illa potestas adjudicandi cui velit, terras atque dominia Pontifici Romano competat, ac Principum jura intervertere atque eludere possit, id jam disquisivimus, ac quilibet ipse harum rerum gnarus facile perspicit.

Pos. LXXVIII.

His itaque remotis, ad reliqua *Auctoris* prodita nos accingimus. Quæstionem vero quandam proponit atque eruit, quam, etsi quidem ad rem ipsam nihil adferat, tamen huc intactam haud relinquamus, ne aliquid, de quo non actum fuerit, restet. Ita vero eandem exponit: Memini, quosdam ad dominium Reipublicæ Venetæ infirmandum, vel in dubium vocandum, tempus illud exquirere, quo primus Thalassiarcha a Venetis fuerit electus atque constitutus. Nunc quidem in eo esse, de tempore illo proprie non constare, cum Cancellaria, quæ ejusmodi documentis fuerit instructa, a. 1230. sit combusta: interea tamen non esse negandum, eos Capitaneos, qui in una serie numerantur, ex Archivis evidenter doceri posse. Sed 1.) Electio Capitanei maris nec jus quoddam in eo indicat, nec jurisdictionem legitimi domini evertere potest. Et si speciem dominii dicas, verum tamen dominium haud prædicare illud poteris, cum hæc Capitanei constitutio sit usurpatoria, nec pro legitima habeatur. 2) Si præfecti classis constitutio Dominium Maris indicat atque eruit, certe vel Belgæ vel Angli, vel Hispani &c. Dominium Maris facili modo adfectare, sibique vindicare poterunt, id quod vero non nisi inepte adstruas. 3.) Thalassiarcha ideo haud constituitur, ut Dominium totius Maris teneat atque tueatur, sed ad

tuendam potius classem, exstirpandasque prædas eligitur, classisque igitur sit præfectus, haud vero totius maris Capitaneus. 4.) Constat ex Statu Reipublicæ Venetæ, Generalissimum classi præesse, portus quoque insulasque curare, atque adeo territorium Reipublicæ contra prædarum aliorumque incursiones tueri, nec in signum dominii Venetorum in Mari Adriatico esse constitutum. Et etsi titulus id indicare velit, ut apparet ex eo, ut, si Generalissimus sit absens, locum ejus occupet Legatus classis, qui dicitur: *Proveditore generale di Mare;* tamen de ejus officio aliter constat, nec etiam titulum *Domini Maris*, vel *ejus Defensoris*, adfectasse Capitaneos, aut eo unquam esse gavisos, compertum est. 5.) Facile quoque largior, Capitaneos maris in signum dominii a Venetis fuisse constitutos, tamen id jurisdictioni Regum Dalmatiæ meliori haud obesse posse, cum Capitaneus maris nullo jure ab Venetis Dominium Maris Adriatici injuste adfectantibus eligatur, manifestum est. Ad quod accedit, quod nec a Regibus Dalmatiæ Capitanei isti pro legitimis habeantur, id quod eo ipso peragitur, cum Veneti pro dominis illegitimis merito notentur, adeoque etiam præfecti classis ab omni potestate, quæ ipsis a Venetis fuerit delata, utut illegitima, utique arceantur. Parum vero curamus, quo tempore primus Thalassiarcha a Venetis fuerit electus, cum cuilibet facile pateat, constitutionem atque electionem Capitaneorum maris nec Venetorum dominium legitimum probare aliquo modo atque corroborare, nec Regis Dalmatiæ supremam in eo jurisdictionem manifestam imminuere ac labefactare quodammodo posse. Aliis itaque hanc quæstionem *Auctoris*, utpote otiosam, relinquimus scrutandam.

Pos. LXXIX.

Majoris momenti esse videntur, quæ porro *Auctor* fuse proponit, atque vel sequentibus continentur: Alia adhuc extare Documenta, quibus libertas navigandi in Mari Adriatico, sive id fiat per triremes bellatrices, (Krieges-Schiffe) sive sint certæ personæ, aliæque res, in Mari Adriatico navigantes, aut per illud trans-

transferendæ, plenissime atque absolute sit determinata ac constituta. Quam ipsam navigandi libertatem consecuti essent, atque requirere debuissent omnes Principes, qui in littore Maris Adriatici sedem suam atque domicilium haberent, utpote Nuntii Apostolici, Interreges, (Vice-Roys) Gubernatores &c. Provinciarum Romanarum, ut & ipsi Reges Neapolitani, ratione Apuliæ, quod nempe ipsis liberum navigandi exercitium interdum sit concessum, ac quoque denegatum. Ac nonnunquam plenissimam navigandi potestatem, aliqua vero tantum pro parte eandem essent nacti, prouti nempe urbi dominatrici Maris Adriatici id placuerit. Sed his omnibus ea opponimus, quæ sequuntur. 1.) Id quidem certum est, neminem, ac inprimis illum, qui Maris Dominium nullo jure sibi vindicavit, navigationem impedire posse inermem & innoxiam, immo quoque in quibusdam casibus armatam. Transitus etenim est jus & unicum remedium, sine quo societas & commercium humanum non potest sustineri: Atqui societas & commercium aliquod inter homines, quo mutuo aliarum nationum copia aliarum inopiæ succurrat, est juris naturalis. Naturæ enim jure constitutum est, ut sibi communicare possent homines, quæ desunt: ergo etiam ea, sine quibus hæc societas vel commercium conservari non potest, sunt juris naturalis. Hi transitus igitur, qui societatis humanæ conjungendæ gratia, v. g. commercii & matrimonii quærendi causa fiunt, impediri non possunt terra marive. Reliqui vero transitus, v. g. exercitus traducendi causa, &c. ita demum naturali jure concedendi sunt, si innoxii sint, quoniam licitum est unicuique defendere suum territorium ab omni periculo & metu damni, & competit tantum transitus innoxius. Vid. *Illustr. Heinr. de Cocceji, in Prælect. Jur. Nat. & Gent.* Ac potissimum ei, qui respectu domini maris illegitimi eodem gaudet jure; navigatio talis innoxia haud erit deneganda, cum ex eodem titulo sc. usurpationis eandem exigere possit. Cum itaque Veneti, ut supra fuse fuit commonstratum, nullum justi dominii titulum allegare possint; certe aliis, etsi haud meliori jure sint præditi, liberam

navigationem juste legitimeque denegare atque interdicere haud possunt. Summa utique potestate atque dominio eminenti juste adquisito instructus esse debet, qui transitus per territorium suum peregrinis denegare vult, iisque præscribere leges. Veneti vero, cum Dominium Maris Adriatici sibi quidem arrogaverint, nulla tamen legitima ejus præditi jurisdictione, dominioque eminenti juste acquisito destituti, libertatem navigandi haud constringere, legesque navigantibus præscribere possunt. 2.) Si potestas concedendi ac defendendi liberum navigationis exercitium valida efficaxque esse debeat, necesse est, ut eadem ab Regibus atque Principibus pro legitima habeatur, seu per fœdera aut pacta exposcenti concedatur atque adjudicetur. Extra etenim hunc casum efflagitatio liberæ navigationis ab Principibus facta, meræ civilitatis, neutiquam vero necessitatis dici debet; nec ab eo, qui Dominium Maris adfectat, pro recognitione dominii sui recte habetur. Inveniuntur vero exempla fœderum, quibus populus alter alteri populo se obstringit, ne ultra certum terminum naviget. Sic inter Reges accolas rubri maris & Ægyptios convenerat olim, ne Ægyptii in id mare venirent, ulla navi longa oneraria non plus una. Sic inter Athenienses & Persas, Cimonis ætate, placuerat, ne qua navis Medica armata intra Cyaneas & Chelidenea navigaret, intra Cyaneas & Phaselidem, post prœlium ad Salaminem, in annalibus induciis belli Peloponnesiaci, ne Lacedæmonii navigarent longis navibus, sed aliis navigiis, quæ ferrent ponderis, non amplius quingentis talentis. Et varia adhuc extant exempla, quæ hæc magis declarant. Alia itaque longe ratio est juris defendendi extraneis liberum navigandi exercitium, si per fœdera & pacta ita sit conventum, atque vi illorum leges sancitæ, quas navigantes observare tenentur. Cum vero ejusmodi pacta neque inter Reges Dalmatiæ ac Venetos, neque alios Principes sint erecta, certe facultas præfiniendi navigantibus leges, nullo jure a Venetis perfici potest; immo ipsa coercitio libertatis navigandi in Mari Adriatico irrita est atque invalida, neque ex ea, utpote adfectata, dominium quoddam jurisdictioque legiti-

legitima maris recte evincitur. Et si quoque liberum navigandi exercitium quidam Principes a Venetis contenderint, tamen id civilitate tantummodo adducti, haud vero in recognitionem dominii Venetorum legitimi fecerunt, de qua re infra fuse differamus, occasione *Auctoris* exempla, quæ profert, scrutandi, suppeditata. 3.) Si quoque omnes Nuncii Apostolici, Vicarii, Gubernatores, ac cujuscunque sint dignitatis, libertatem navigandi a Venetis, qua Dominis Maris Adriatici legitimis contendissent; talis tamen agnitio Regum Dalmatiæ jus perfectum haud imminuere potest, præsertim cum omnes jam commemorati ex rationibus politicis obstricti sint atque teneantur, liberam navigationem a Venetis efflagitare atque contendere.

Pos. LXXX.

Speciatim vero ad ea, quæ de Regibus Neapolitanis spargit *Auctor*, eos nempe liberam navigationem in Mari Adriatico a Venetis contendisse, non possumus non hæc regerere. 1.) Regnum Neapolitanum potentissimis semper instructum fuisse Dominis, constat. Principio quidem Paparum subfuit potestati, Regesque ejus ipsis paruerunt. Robertus etenim Guiscardus a. 1060. a Papa Nicolao II. Calabriæ & Apuliæ investituram accepit. Deinde Rogerius III. Pontifici præstitit fidelitatem, ac a. 1130. a Papa Anacleto II. Rex Neapolis & Siciliæ creatus, annoque sequenti coronatus fuit. Postea ad Petrum III. Arragoniæ Regem, a Papa est translatum, qui Auctor fuit *Vesperarum Sicularum*, quibus die paschatis 1282. Galli obtruncati. Vid. *Zwinger. Theatr. Vol. XII. Lib. III. fol. 2736.* Denique dissidiis inter Gallos ac Arragoniæ Regem exortis, Ferdinandus Catholicus singulari prudentia atque fortitudine Regnum Neapolis iterum feliciter recuperavit, atque sequentibus temporibus Regno Hispaniæ annexum mansit; unde & Augustissimo hoc tempore regnanti Cæsari, Carolo VI. qua legitimo Regi Hispaniæ adhuc paret. Ex quibus id quidem colligo, Reges Neapolis, utpote summa semper præditos potentia, veniam libere navigandi in Mari Adriatico haud

haud a Venetis efflagitaſſe, nec eadem indiguiſſe. 2.) Ex Geographicis compertum eſt, Apuliam Mari Adriatico allui, validisſimisque oppidis, portibusque eſſe inſtructam. Itaque Reges Neapolis, Apuliæ dominos, liberam navigationem, absque præcedente ab Venetis ejus efflagitatione, facile in Mari Adriatico exercere poſſe, facile cognoſcitur. Id eo magis confirmatur, ſi expendamus, Rempublicam Venetam Regum Neapolis ſummam vim atque potentiam omni tempore valde timuiſſe, & adhuc extimeſcere. Quare non immerito ambigo, tam potentes Reges liberum navigandi exercitium, ſi quo fuerint uſi, demum ab Republica Veneta contendiſſe; ut tamen *Auctor* in ſuam ſententiam nos adducere, fruſtra quidem contendit. Nec tamen hæc ideo commonuimus, ut Cæſari, qua Regi Neapolis, Maris Adriatici Dominium adſcribere atque adjudicare velimus, ſed in hunc finem potius in medium adduximus, ut quodammodo appareat, cum *Auctore* non niſi incongrue adſtrui poſſe, Reges Neapolis a Venetis liberam navigationem contendiſſe, ac impetraſſe, immo eandem ipſis fuiſſe denegatam, adeoque hoc ipſo actu Venetos pro dominis maris legitimis habuiſſe. 3) Etſi quidem *Auctor* id ſæpius factum fuiſſe affirmet, tamen ex Hiſtoricis atque rerum Annalibus nullum adducit exemplum, quo evincere hoc poſſit. Ac ſi forſitan exiſtimet, etiam iis temporibus, quibus Cæſares quidam Regnum Hiſpaniæ adepti illud Neapolis ſimul ſunt conſecuti, eos liberam navigationem a Venetis contendiſſe, certe potentiam illorum haud rite perpenſus, maximum in errorem defertur. Ipſa Cæſarum poteſtas hæc longe aliter docet ac teſtatur. Olim certe Romani Imperatores toto fere terrarum orbe potiti, Maris quoque Dominium ſibi vindicarunt. Sic *Livius Lib. XXX. Cap. XXX. Carthaginenſes, incluſi Africæ littoribus, vos, quando Diis ita placuit, externa etiam terra marique videamur regere imperia.* Itaque mare internum paſſim ſuum vocant Romani. *Salluſtius*, *Florus*, *Mela*, aliique. Immo *Dyoniſ. Halicarnaſſeus Antiquit. Rom. Lib. I. Cap. III.* hæc adjicit: *Populus Romanus omni mari imperat, non modo ei, quod inter columnas eſt Herculis,*

Herculis, sed & Oceani, in quantum navigatur. Vespasianum *Josephus* vocat: *Terræ Marisque Dominum. Procopius* Imperatoris statuas effictas narrat, orbem tenentes, *quod ei subjecta esset terra & mare. Nicatas*, Patricius, Adriatici littoris servator memoratur in litteris *Ludovici II. Constantinus* Monomachus in historia dicitur: *Terræ Marisque Imperator ac Dominus.* Et modesti sane fuerunt Imperatores, qui Dominium Maris ad se non spectare fassi sunt, quamvis essent omnium gentium & terrarum, vel universi mundi Domini; *l. 9. π. ad L. Rhod. de jactu.* Quo dicto hoc significare voluerunt: Etsi Dominium Maris nullius sit in bonis, sed & ejus usus, certo quidem respectu, & aliis sit communis, se tamen leges navigantibus præscribere posse, quibus ad majorem securitatem & commoditatem navigationis & Imperii emolumentum uti debeant. Vid. *Coccej. in Exercit. Curios. Tom. II. Disp. LII. de Dominio seu Imperio Orbis ad l. 9. π. de Leg. Rhod.* Ac etsi illa Romanorum Imperatorum potentia hodie valde sit imminuta, tanta tamen adhuc restat ac floret, ut certe non indigeant venia, ab Venetis impetranda, ad navigationem in Mari Adriatico libere exercendam. Ex quibus itaque omnibus jam commemoratis quilibet perspicit, a veritate quam longe abhorrere, tam Cæsares stricte sic dictos, quam qua Reges Neapolis, liberum navigandi exercitium a Venetis contendisse, impetrasse, ac eos itaque veros Maris Adriatici Dominos publice esse agnitos.

Pos. LXXXI.

Et, si in tempora ea accurate solliciteque inquiras, quæ docent, Venetos Imperio Romano fuisse subjectos, vix falsam illam tibi induere poteris persuasionem, iisdem Cæsares navigandi libertatem a Venetis, utpote Vasallis contendisse, inprimis cum ab omni adfectatione cujusdam dominii aut summæ potestatis desisterent, usque tandem, occasione oblata, se a jurisdictione Imperii Romani eximerent, uti commemorat *Joann. Baptist. Ignat. in Vita Caroli M.* dicens: in divisione Imperii, inter Carolum M. & Irenem, Constantini matrem, facta, diserte fuisse cautum, ut

 Veneti

Veneti suis uterentur legibus, & bello paceve nullius censerentur juris. Nihilominus vero ab tempore illo Venetos in recognitionem superioritatis quotannis pallium aureum Imperio pependisse, usque ad tempora *Ottonis III.* qui *Gregorii* Pontificis autoritate suffultus, Collegium Septemvirum, Imperii Electorum, instituisse dicitur, & in gratiam *Urfedi*, Principis Veneti, quo familiariter utebatur, cum Venetias voti reus invisisset, pensitationem illam bene meritæ Reipublicæ quod remiserit, docet *id. in vita Ottonis III.* Verum hanc de Ottonis III. institutione, circa electionem Imperatoris, opinionem refutat ***Peucer. in Chron. Cario. Lib. IV.*** & est quoque commentitia, ut fuse evincunt ***Leibnitz. T. I. p. 567. Mutius in Chron. Germ. p. 107. Baron. ad a. 996. Struv. in Syntagm. Jur. Publ. Diss. XVI. Lehman. Lib. V. C. XVII.*** Num vero de origine illa libertatis a Republica Veneta proditæ, adhuc dubitandum sit, hujus loci non est, disquirere. Eandem tamen difficillime ab iis esse probandam atque edocendam, vel exinde facile apparet, quod, cum Dux quidam Venetus ***Paulum Sarpium***, seu ***Fra Paolo***, qui felici admodum successu reliquas contra Rempublicam Venetam evulgatas scriptiones confutavit, admoneret, illumque incitaret, ut librum, cui est titulus, ***Squittinio della Libertà Veneta***, convelleret, hic Duci hanc reddiderit responsionem: ***Serenissime, ne moveas Camarinam, immotam hanc expedit esse.*** Cæterum ***Carpz. de Leg. Reg. Germ.*** & ***Schurtzfleisch. de jure Augusti in Italiam***, utique propugnant; Cæsari adhuc Superioritatem quandam in Statum Venetum legitime competere. Sufficit vero, huc commonstrasse, Venetos haud commonstrare atque edocere posse, sese Cæsaribus libertatem navigandi in Mari Adriatico, iis contendentibus, concessisse, ac quoque denegasse, cum per longum temporis spatium Imperatores supremos dominos salutaverint, nec de libertate iis plenissime concessa sat sufficienterque constet.

Pos. LXXXII.

Quanta vi atque auctoritate jura sua in Italiam Imperatores omni tempore vindicaverint, quantaque damna Veneti, propter

propter temerariam jurium horum imperialium læsionem atque offensionem, sint perpessi, dilucide ex bello cum Maximiliano I. de transitu innoxio ab Venetis ipsi prohibito atque denegato, exorto, optimeque constare potest. Cum etenim a. 1508. Maximilianus peteret Italiam, Veronenses transitum ipsi renuebant. Hinc Imperator a. 1508. d. 3. Febr. Tridentum adibat, ac ibi Ducem Venetum, Laurentium Loredanum, trina vice per præconem publice citari jussit; eo vero haud comparente, Rempublicam Venetam, banno Imperii dignam, proscripsit. Bellum itaque ortum, ac ancipiti quidem fortuna per tempus quoddam fuit digladiatum, fœderatione vero inter Imperatorem, Regem Galliæ atque Regem Hispaniæ, Cameraci absoluta atque conclusa, (cui Papa quoque paullo post accederet) eo Veneti adeo sunt redacti, ut per Legatum suum, Antonium Justinianum, Imperatori mappam ipsi offerrent, ut suo is arbitratu limites fingeret, statueretque, Austriacos, dummodo salva illis Venetiæ urbs esset ad mercaturam, immo quotannis 50000. aureos in recognitionem superioritatis promitterent, ut testantur *Heuterus Lib. VII. Cap. II. & XIII. Guicciardini Lib. VIII.* in cujus editione recentissima oratio Legati Veneti non deprehenditur; eandem tamen veram esse prima ejusdem editio, aliique Scriptores sat testantur. Cæterum confessio Venetorum propria magni certe facienda est Austriacis. Ita etenim Legatus Venetus in oratione ad Maximilianum loquitur: *Abjectis armis, in Majestatis tuæ incredibili clementia, vel potius divina pietate spem omnem locavimus - - - Itaque Principis, Senatus, populique Veneti nomine, humili devotione supplices oramus, obtestamur atque obsecramus, ut clementiæ tuæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, iisque salutarem medicinam adferre. Omnes pacis leges, quas tu nobis imposueris, amplectemur: omnes justas, & ab æquitate rationeque minime alienas, ducemus. Sed fortasse, quod nobis ipsis mulctam imponamus, digni sumus? Ad Te, verum & legitimum Principem, omnia quæcunque majores nostri Sacro Imperio & Austriæ*

K 2 Ducatui

Ducatui ademerunt, redeant, quibus, ut decentius veniant, omnia quæcunque in continenti possidemus, adjungimus, quarum rerum juribus quocunque modo partis; cedimus. Præterea quotannis Tuæ Majestati & legitimis Imperii Successoribus in perpetuum quinquaginta auri pondo tributi nomine pendemus imperiis, decretis, legibus tuis libenter obtemperabimus &c. Sic quoque in litteris ad Maximilianum scribunt: *Fatemur, spolia Majorum in Austriacos. Quibus omnia restituemus sola urbe emporioque salvo.* Vix sane venia danda est Maximiliano atque concedenda, quod conditiones has oblatas rarissime certe obvias, haud acceptaverit. Postea etenim Itali & Galli Venetis tulere auxilia, remque publicam eorundem adversus Maximilianum, quem ante ad bellum Venetum excitaverant, sunt contuiti. In animo quidem Cæsari fuit, Helvetiam jungere Austriacis utrisque Venetias, ut cuncta sub nomine contineret: *Novi Regni Orientalis:* Dem Oesterreichischen Königreich. Invidia vero aliorum, atque vicini cujusque amicitia, pro fortunæ rationibus mutabilis, de qua *ipse* sæpius est conquestus, salubre hoc institutum, gloriosumque conamen retardarunt, atque interruperunt. Quis itaque, his rite examinatis ruminatisque, hanc opinionem animo suo imbibere poterit; Cæsares jura sua in Italiam cum vi atque efficacia vindicantes, unquam Venetis id largitos esse, atque addixisse, ut vel transitum innoxium denegare sibi concesserint atque permiserint, vel liberam navigationem ab iis efflagitaverint, aut temerariam renuitionem haud sint ulti, adeoque veros legitimosque maris dominos professi. Omnes certe gloriosissimæ memoriæ Imperatores in tuendis, stabiliendis, vindicandisque amplissimis suis in Italiam juribus, nulli fuisse secundos, nullaque in re unquam Italis aliquid concessisse, præbuisseque, quod ipsis præjudicare, aut detrimentum quoddam

inferre

inferre possit, in aperto est, exploratæque veritatis. Eo itaque haud adduci possumus, ut *Auctori* præbeamus, vel Reges Neapolis semper potentissimos, vel Cæsares Regnum Neapolis consecutos, liberam in Mari Adriatico navigationem a Venetis semper contendisse, neque adeo de jurisdictione ipsorum legitima unquam esse dubitatum.

Pos. LXXXIII.

Sat vero edocuimus, Cæsares, cum Venetis id haud concesserint, ut de juribus suis decerperent aliquid atque derogarent, omni potius modo eadem contra ipsorum tentamina variasque machinationes acriter propugnaverint, id nunquam apud animum suum statuisse, ut per efflagitationem liberæ navigationis in Mari Adriatico a Venetis quæsitam, ejus dominium ipsis concederent, atque indulgerent. Et si forsitan existimes, ante tempora illa, quibus Dalmatia, Dominiumque Maris Adriatici cum ea conjunctum ad Imperatores, qua Reges Hungariæ, nondum pertinuit, numerari exempla, quæ declarare possent, Reges Dalmatiæ per concessiones de libera navigatione a Venetis efflagitatas, juri suo derogasse, ac Dominium Maris ipsis tacite adjudicasse: id tamen neutiquam concedendum erit cuidam atque largiendum, antequam exempla evidentissima atque probatissima in medium proferat & exponat. Ut taceam, quod commonstrare debeat, Reges Dalmatiæ territorium suum ab quibuscunque Venetorum incursionibus haud esse vindicatos. Quare & ad *Auctoris* exempla examinanda nos accingamus, ac omni studio scrutemur, num sua gaudeant perspicuitate ac veritate, ac id probent atque evincant, quod *Auctor* sibi quam certissime persuadet. Primum vero, quod profert, sequentibus tradit: Confirmare sententiam suam Breve illud Papæ *Urbani VI.* Luccæ conscriptum, quod ad *Antonium Venierum*, Ducem Venetum, fuerit directum, ac concinnatum a. 1388. die 14. Jul. quo gratias ipsi referat, quod Mariam Reginam Hungariæ, quæ illo tempore in novo Castello captiva fuerit retenta per naves longas, quæ in

Mari Adriatico in præsidium sustinentur, in pristinam voluerit restituere libertatem. Quam parum vero hocce exemplum, ad evincendum Venetorum dominium, adferat, ex subsequentibus erit colligendum. 1.) Supra jam commonuimus, Pontificis autoritatem huc nihil probare, nec summi cujusdam Principis optimo juri aliquod adferre posse præjudicium; ac cum in spiritualibus tantummodo recognoscat, in temporalibus nullam ipsi competere potestatem, de iisdem judicandi & decernendi. Quæ cum per se sint clara atque perspicua, haud ulterius prosequamur. 2.) De captivitate *Mariæ* in novo Castello ideo merito dubito, quia ex Scriptoribus de illa longe aliter constat. Patet vero ex Historicis in dubia Regni Hungariæ successione, alios *Mariæ*, alios vero *Agræ Carolo Parvo*, Regi Neapolis, fuisse addictos. *Bonfin. Dec. 3. l. 1. Dubrav. l. 25. Sigismundus* vero Imperator nuptias cum Maria Budæ celebravit, ac statim post Bohemiam petiit. *Bonfin. l. c.* Interea vero *Carolus* Regno Hungariæ est potitus, qui in Comitiis Budæ celebratis Regno *Mariam* privavit, ac ad Albam Regalem (Stulweissenburg) insigne regium capiti suo imponi jussit, ut idem *Bonfin. l. c.* testatur. Sed *Nicolaus Gera*, Hungariæ Palatinus, qui *Mariæ* partes tenebat, consiliis novis callidisque instructus inventis, eo rem perduxit, ut *Carolus* a. 1385. fuerit interemtus, & *Maria* iterum Regina Hungariæ coronata. *Bonfin. l. c. & p. 262.* Mox vero quidam, *Joannes Horwart*, Croatiæ Propræfectus, Regis *Caroli* mortem est ultus, atque Mariam cum matre sua Elisabetha vinctam duxit, ultimam vero in fluvio, cui nomen est *Bozra*, suffocari jussit. Hæc vero, cum ad aures Sigismundi pervenerint, ipse statim vi armata Hungariam ingressus finem *Mariæ* captivitati imposuit, unde quoque a. 1386. fuit coronata. *Bonfin. Dec. 3. l. 2.* ac 1392. vita est defuncta, teste *Bonfin. l. c.* Ex quibus ipsis Scriptoribus Hungaricis sat superque munitis facile colligitur, *Mariam* nec in novo Castello (ut Auctor prodit) fuisse captivitate retentam, nec per Venetorum naves longas in libertatem pristinam fuisse restitutam, sed potius ab *Joanne Horwart*, Croatiæ Propræfecto, captivam esse servatam, ac

per

per *Sigismundum* Imperatorem vi armata liberatam. Unde de Epiſtola Papæ ab *Auctore* prodita, plane dubito, eamque fictitiam eſſe, non incongrue autumo. Certe cum ad Ducem Venetum, *Antonium Venierum*, (ut Auctor ipſe fatetur) ſit ſcripta, haud aliter concludere poſſumus atque colligere, quam quod Veneti de redemtione *Mariæ* ſint optime meriti: extra etenim hunc caſum Pontifex Venetis gratias referre haud potuit. Cum vero ex Hiſtoricis liqueat, Venetos *Mariam* in libertatem haud reſtituiſſe, ſed potius ejusdem auguſtiſſimum ſponſum *Sigismundum* ſecuritati iterum reſtituiſſe; non video, qua ratione Papa gratias Venetis perſolvere potuerit, de recuperata *Mariæ* libertate haud bene meritis. Gratiarum etenim actio præſupponit neceſſario alterius in me merita atque beneficia, quæ me demum commovent, ut illa grato animo agnoſcam. 3.) Sed puta, Breve illud Papæ eſſe genuinum, ac adhuc extare, omnibus requiſitis inſtructum, tamen id Venetorum cauſam efficere haud poteſt, cum haud raro accidat, quod Papa filios atque filias Eccleſiæ Romanæ, utpote ſanctiſſimus omnium Pater, ex captivitate redimat, ac ab jugo ſervili liberet. Nec itaque per meram gratiarum actionem, Venetis pro præſtito *Mariæ* auxilio, dominium quoddam maris adjudicare atque adſcribere voluit, nec potuit, cum optime compertum habuerit, id poteſtatem ſuam, ſpiritualia tantummodo concernentem, longe egredi. *Auctor* itaque ſua fallitur opinione, ſi exiſtimet, Papam per talem gratiarum actionem dominium Venetorum in Mari Adriatico collaudaſſe. Probe etenim ipſa *Auctoris* verba ſunt notanda, quæ id ſaltem innuunt, quod Papa Venetis maximas perſolverit gratias pro beneficio illo, quod per naves ſuas longas *Mariam* priſtinæ reddere libertati, atque ſartam tectamque ſervare voluerint. Quisnam ex his colligere poterit, Papam eo ipſo Venetos dominos maris ſalutaſſe? Nequidem Breve illud Papæ ad ſcopum *Auctoris* aliquid adfert. Eo etenim evincere vult, exteros a Venetis libertatem navigandi contendiſſe atque impetraſſe. Num vero id ex præſenti exemplo apparet? Certe nec de navigatione,

nec

nec de ejus exercitio a Venetis consequendo, sed de *Mariæ* libertate iterum restituenda fuit quæsitum. Denique, etsi Papa Breve illud in signum atque monumentum dominii Venetorum constituerit, tamen id Regis Dalmatiæ jus legitimum semper illibatum, haud infringere atque infirmare potuit, cum Pontifex in temporalibus Regibus atque Principibus jura sua haud adimere, neque de iis pro lubitu suo disponere possit, ut supra fuse commonstravimus.

Pos. LXXXIV.

Auctor tamen porro eodem nititur argumento, ac ad ejus veritatem magis adhuc eruendam, ita pergit: Confirmare antecedens exemplum, duo carmina gratulatoria, quorum unum *Mariæ* Hungariæ fuerit adscriptum, alterum vero *Sigismundo* dedicatum, quippe qui, propter redemtionem *Mariæ* ex captivitate, incredibili gaudio fuerit elatus, ac eandem per Thalassiarcham navesque Venetas fuisse restitutam, publice professus. Non video sane, quare exemplum illud adhuc tam anxie urgeat, ac carminibus adeo corroborare velit. Et, etsi quisque hujus argumenti infirmitatem facile cognoscat, tamen sigillatim quædam eidem reponere volumus, in hunc finem, ut appareat, quam imperite ignoranterque *Auctor* judicaverit. 1.) Non immerito miror, quod Scriptorem illum haud significaverit *Auctor*, qui carmina illa tradit. Nullibi etenim ea deprehendo, neque alii Scriptores de iis aliquam faciunt mentionem. Quare cum de iis non satis constet, de eorum existentia non incongrue ambigo, eandemque in dubium voco. Quanquam id nude haud affirmaverim, cum non omnes Scriptores, qui de materia præsenti sunt commentati, cognitos habuerim ac perlustraverim. Decet tamen eum, qui Scripta talia existere asserit, indicare, quis eorum sit *Auctor*, vel in qua collectione &c. possint reperiri. Præsertim, si ope eorum Scriptum adversarii confutare velit, (ut *Auctor* quidem voluit) ideo, ut alter perspiciat, bonam se defendere causam, nec nudis assertis nulla probatione munitis, eandem

eandem evincere velle. Certe, ſi adverſarius animadvertat, aſſertum alterius omni deſtitutum eſſe probatione; illud ut nullius momenti non niſi rejicere poterit, nec de veritate ejusdem convinci. Quare nullius accuſari potero erroris, ſi carmina illa ab *Auctore* prodita, tam diu in dubium voco, uſque de ipſorum exiſtentia ſim certior factus. 2.) Sed facile largiri poſſum, carmina hæc temporibus iis fuiſſe compoſita, ac forſitan in MS. adhuc extare. Quilibet vero ipſemet ſpectet atque decernat, num in eruendis atque indagandis tanti momenti controverſiis, ex carminibus probatio quædam ſit petenda? Carmina ſane, quæ plerumque ſpiſſis blanditiis pellaciisque ſunt repleta, ac quæſtus lucrique cauſſa componuntur, ad infirmanda atque labefactanda ſummorum Principum jura, neutiquam adferre aliquid, iisdemque adſtruere poſſunt. Documenta potius atque Diplomata genuina, Pacta, Fœdera, Inſtrumenta Pacis, Jura Gentium recepta &c. diligenter ſunt inſpicienda, riteque expendenda, ex iisque ſummorum Principum jura repetenda. Nec Hiſtoricus, qui bona fide res geſtas juraque Principum controverſa fideliter tradit, ad ejusmodi carmina unquam provocat, niſi aliorum deriſum effugere haud velit. Unde ſtolida certe ac inepta eſt opinio, quæ *Menagio* adſcribitur *Menagianor. Tom. II.* eo inclinans, ut Hiſtoricus, qui ſincere atque fideliter monumenta hiſtorica tradere velit, apparatum carminum variorum acquirere ſibi atque comparare debeat. Cum etenim hujusmodi Poëmata, laudes aliorum, Anagrammata, aliasque hujus generis contineant quisquilias, adeoque Panegyricorum nomine utique notentur: Hiſtoricus certe inniti iis haud tuto poterit, niſi ſummis craſſiſſimisque ſe irretire velit erratis. Præſertim Panegyricis, ſummis Principibus dicatis, nulla adſcribenda eſt fides. Iis potius habenda fides eſſet, ſi compilatores eorundem veritatem profiteri debuiſſent. Quicunque igitur in inveſtigandis illuſtrium controverſiis, quæ ex Hiſtoricis ſunt petendæ, verſatur, nullam penitus fidem adſcribat Panegyricis Carminibus, ſive antiquis ſive novis. Nullum etenim aliud ex iis percipit commodum, quam

quod nemo, illarum rerum gnarus, assertis suis applaudat atque adstipuletur, exemplum potius omnibus præbeat perspicuum atque luculentum nimiæ imperitiæ ac credulitatis. His itaque adductus rationibus, non possum non poëmatibus iis ab *Auctore* proditis omnem denegare fidem, ac statuere utique atque adstruere, ea præsenti materiæ nulla ex parte derogare quicquam posse. 3.) Et si ea, quæ *Auctor* ex poëmatibus adducit, inspicias, nihil illa aliud continere, quam evlogiam ad *Sigismundum*, de *Maria*, Reginæ Hungariæ, felicissima ex captivitate redemtione, id quod & poëma, *Mariæ* dicatum innuere, adstruit *Auctor*, facile cognitum habere poteris. Quare non perspicio, qua ratione *Auctor* evincere ex iis velit, *Sigismundum*, Venetorum Dominium in Mari Adriatico comprobasse atque collaudasse, nec controversum reddidisse. Quod poëmatum concionatores, *Venetos* dominos maris prædicaverint, lubenter concedo. Sed num tales argutatores summi cujusdam Principis jus summum infirmare ac intervertere possint, quilibet facile sensibus suis haurire potest. Certe, si illos, qui Principum benevolentiam blanditiis atque assentationibus colligunt, in decidendis eorum controversiis sequi velis, jura ei, cui legitime competunt, adimere, ac alteri nulla ex ratione sufficienti temere atque inconsiderate adscribere atque adjudicare debeas. Sed absit a nobis, ut in nugis ventosa ac enormi mimographorum loquacitate versari, commorarique velimus. 4.) Prodit quidem *Auctor*, Sigismundum Venetos publice laudibus esse prosecutos, in quibus terminis vero id factum sit, haud indicat. Nolo huc repetere ex Historicis, de redemtione *Mariæ* ex captivitate Venetos haud fuisse bene meritos. Hac enim ratione totum *Auctoris* argumentum esset irritum. Sed concedo, Venetos *Mariam* ex captivitate redemisse. Num vero ex laudibus *Sigismundi* Venetis concessis agnitio quædam prætenti ipsorum dominii in Mari Adriatico effici colligique potest? Meo quidem judicio nullam in his perspicio consequentiam. *Sigismundus* etenim Venetos ideo laudibus celebravit, ut meritis illorum vicem referret. Ex verbis

Auctoris

Auctoris quidem nihil aliud colligi poteſt. Nemo vero exigere a me atque expoſcere poteſt, ut aliud, quam *Auctoris* admittunt verba, feramus judicium. Præterea, etſi verba Sigismundi evidentiſſime edoceri poſſint, tamen illa haud ſufficiunt ad dominium Venetorum commonſtrandum. Verbis ſane res tanti momenti non perficitur, ſed pactis potius atque conventionibus &c. quæ vero huc exulant. Id quod bene meditatus eſt, *Carolus V.* glorioſiſſimæ memoriæ, cum *Franciſco I.* Regi Galliæ Ducatum Mediolani polliceretur. Cum etenim *Franciſcus I.* per Ducem Montmoranciacum *Carolo V.* promiſſum ſuum iterum proponeret, ac ejus adimpletionem urgeret, Cæſar his ſeſe explicuit verbis: *Quæ Regis Galliæ eſt voluntas, mea quoque eſt.* Dictum vero hoc ita eſt interpretatus: *Quicquid Rex Galliæ deſiderat, id quoque concupiſco. Atqui Rex Franciæ appetit Ducatum Mediolani, ergo & illud quoque diſcupio.* Etenim præterea, quod quilibet verborum ſuorum ſit interpres, ex nudis verbis nullum alteri legitime competens jus recte evincitur. Sic nemo colligere non niſi incongrue poteſt, *Sigismundum* per aliquot verba jus ſibi legitime competens attribuiſſe atque adjudicaſſe, quæ quoque opinio omnibus principiis certe optimis, quæ *Sigismundus* fovebat, aperte repugnat atque contradicit. 5.) Sufficit vero jam commonſtraſſe, nec doceri poſſe, *Mariam*, Reginam Hungariæ, Venetorum auxiliis in priſtinam fuiſſe reſtitutam libertatem, nec ex carminibus tam graves cauſſas non niſi inepte erui poſſe, nec vel *Sigismundi* verba, ab Auctore prodita, extare, vel ex iis aliquid pro Venetorum prætento dominio depromi poſſe. Nulla vero hæc ampliori indigent probatione, cum totius argumenti, ab *Auctore* in medium adducti, infirmitas vel per ſe cuilibet facile pateſcat.

Poſ. LXXXV.

Aliud vero exemplum urget *Auctor*, quo ſententiam ſuam confirmare atque corroborare autumat. Prolixe illud tradit, dum ita fere ſcribit: In animum revocandum eſſe comitatum illum, ſive præſidium, quod *Rudolpho*, *Comiti de Salen*, nomine

atque

atque intuitu *Uladislai*, Regis Neapolis, & *Guilielmi*, Archi-Ducis Austriæ, ad preces quidem atque desideria ipsorum, a. 1399. d. 12. Decemb. fuerit concessum, qua præsidii a Venetis efflagitatione petitum sit, ut jam commemorati Regis soror, quæ Archi-Duci erat desponsata, ex Apulia, per Mare Adriaticum, ad Sponsi sui provincias simul cum navigiis suis actuariis, cæterisque navibus comitaretur. Cui petito Veneti essent gratificati, sub hac tamen conditione, ut nullus Assassinus, Venetus, vel quisquis sit, capitis pœna dignus in naves reciperetur. Quam quoque conditionem Austriaci fideliter observaverint. Sed nihil hæc omnia ad evictionem dominii Venetorum adfectati conferunt, ut vel ex sequentibus facile elucescere poterit. 1.) Constat quidem ex Historicis, *Johannam*, *Ladislai*, Regis Neapolis, sororem, *Guilielmo* Austriaco fuisse desponsatam; eandem vero a Venetis præsidia efflagitasse atque consecutam esse, id Scriptores non indicant atque docent. Ideo tamen *Auctori* omnem haud denego fidem, cum Diplomata forsitan vel alia MSS. non admodum vulgaria habuerit. Sed id tantummodo adstruo, eos Scriptores, qui de præsenti materia in auxilium sunt vocandi, prorsus de actu illo ab *Auctore* prodito silere. Eos vero merito excludo, qui pro caussa Veneta calamum strinxerunt, eamque speciosam atque coloratam nobis tradiderunt. His etenim, in quantum sit inhærendum, quilibet optime intelligit, eosque ad probationem asserti, ab *Auctore* in medium prolati, haud sufficere perspicit. Eos vero, qui in neutram inclinant partem, ac ab odio, amicitia, ira, avaritia, adulandique libidine sunt vacui, consequenter rerum monumenta antiqua & incorrupta fide tradunt, in consilium esse potius vocandos, manifestum est. Ac etsi compertum haud habeam, quem Scriptorem innuat *Auctor*, tamen contendere ausim, eundem partibus Venetorum fuisse addictum. Quare rejectis iis alios potius sequimur, qui majorem merentur fidem, ac cum aliis ingenuis Historicis conveniunt atque consentiunt, de veritate hujus vel illius rei optime pleneque edoctis. 2.) Sed frustra de veritate asserti ab *Auctore* proditi contendere videor,

cum

cum eo concesso, nihil ad dominium Venetorum prætentum comprobandum adferat, nec Regis Dalmatiæ supremam in Mari Adriatico jurisdictionem infirmare atque infringere possit. Id quod facile erit commonstratu, si evincamus, Regnum Hungariæ, nec ad *Ladislaum*, Regem Neapolis, nec ad *Guilielmum* pertinuisse; adeoque ipsos Regis Hungariæ juri meliori per ejusmodi noxias Venetorum dominii agnitiones haud derogare potuisse, tantum abest, ut evertere illud potuerint. Docent vero Historici, *Ladislaum*, Regem Neapolis, Regnum Hungariæ quidem adfectasse, ac a 1403 jussu Pontificis Bonifacii IX. Jaurini, (Raab) coronam sibi propria autoritate imposuisse; mox vero a Cæsare *Sigismundo*, utpote legitimo Hungariæ Rege, iterum fuisse expulsum, nullumque adeo jus legitimum in Regnum Hungariæ habuisse. Quod vero ad *Guilielmum*, Archi-Ducem Austriæ, attinet, manifestum est, eundem Regnum Hungariæ nunquam tenuisse. Erat enim *Guilielmus*, filius *Leopoldi Probi*, *seu II.* ac in divisione fraterna, Carinthiam Orientalem accepit, Istriam, ac Portum Naonis. Dilucide itaque apparet, nec *Ladislaum*, nec *Guilielmum* Regnum Hungariæ tenentes, Regis Dalmatiæ legitimum Maris Dominium sibi adscribere, atque Venetis adjudicare potuisse. Quod vero *Sigismundus* ipsemet Venetos dominos Maris Adriatici salutaverit, id *Pos. LXXXIV.* longe aliter edocuimus. Quare sicuti Pontifex Romanus, ex propria sua potestate vel autoritate (ut sæpius tamen id sibi adrogaverit) Regna, Dominia, Provincias &c. adscribere cui velit, atque adjudicare haud possit: ita & alii Principes ea non gaudent potentia, ut in præjudicium legitimi possessoris hoc vel illud Dominium sive Maris sive Provinciæ cujusdam huic vel illi adscribere pro suo lubitu queant.
3.) Probe sunt discernenda, quæ ob agnitionem dominii alicujus, & quæ ob finem quendam necessarium obtinendum fiunt. Sic vix mihi persuadeo, *Ladislaum* & *Guilielmum* præsidia a Venetis ideo contendisse, ut dominos eos maris esse indicarent, ut potius in hunc finem id fecisse appareat, ne *Johanna II.* quæ *Guilielmo* erat desponsata, in itinere periculum quoddam subiret, ac a navibus Venetis inquietaretur: Num vero dominium tale Vene-

torum adfectatum, jus quoddam præ se ferat legitimum, quilibet facili negotio cognoscit. Sic cuilibet patescere potest, quo jure a Venetis sunt facta, quæ Regi Hispaniæ jurisdictione sua in Mari Adriatico adfectata, suffulti, opposuerunt. Cum etenim *hujus* Legatus transitum per Mare Adriaticum, pro Regis Hungariæ *Ferdinandi* sponsa secure transmittenda, requireret, ac eandem ope classis Hispanicæ ab urbe Neapolis usque ad Tergeste ducere vellet, Veneti talem ipsi superbam reddiderunt responsionem: Rempublicam Venetam nullis navibus exteris liberam navigationem in Mari Adriatico concedere, simul vero Regi Hispaniæ navigia sua offerre, simul cum pollicitatione, sese sponsam omni honoris cultu salutare, ac secure per Mare Adriaticum transmittere velle, transitu vero vi quæsito sese coactam fore, vim vi repellere. Et quod maximum est, Proregi simul Neapolis significarunt, si quando Rex Hispaniæ vim armorum plus faceret, quam æquam Reipublicæ propositionem: Sponsam prœlii concursum sustinere, ac loco fescenninorum nuptialium grandioris tormenti globos delibare debere. (**So müste Sie an statt der Braudt-Suppen die Stück-Kugeln kosten.**) Usurpativa vero hæc Dominii Maris adrogatio Venetorum legitimam in eo jurisdictionem neutiquam evincit. Certe si ea, quæ de facto, & hæc, quæ de jure fieri debent, confundamus, iniquissima sane, immo inepta dogmata adstruere atque fovere debemus. Et absque ullo dubio tam *Ferdinandus III.* quam *Ferdinandus II.* Parens, Dominium suum in Mari Adriatico vi armorum vindicassent, nisi bellis gravissimis cum Bohœmis ac Protestantibus, quos vocant, fuissent impliciti. Nulla tamen ex parte colligi ex iis poterit, Cæsarem talem Venetorum superbiam haud castigantem, juri suo tacite quasi renunciasse. Probe itaque ea sunt discernenda, quæ diversas concernunt causas. Quam parum igitur argumentum ab *Auctore* adductum, caussam Venetorum adjuvet, vel ex his intelligi potest, ita ut ansam potius præbeat, ad summam Regis Dalmatiæ, Principisque Istriæ, atque supremam in Mari Adriatico jurisdictionem dignoscendam, Venetorumque colores, fuco illitos, dilucide cernendos.

Pos. LXXXVI.

Pos. LXXXVI.

Ulterius vero *Auctor* argumento suo insistit, animumque in eo occupatum habet, ut novis exemplis illud corroboret, indubitatumque reddat. Porro etenim evincere atque commonstrare satagit, libertatem navigandi in Mari Adriatico a Venetis fuisse contentam atque consecutam. Prius vero quam ad ipsam exemplorum illorum pervestigationem nos conferamus, ea, prouti *Auctor* tradit, huc consignare volumus. His vero pergit: Haud reticendas esse epistolas Friderici Imperatoris ad Ducem Venetum, Joannem Mocenigum, scriptas, quarum prima Græcii a. 1478. d. 24. Sept. secunda vero a. 1479. d. 2. Aprilis fuerint consignatæ, quibus permissionem hanc a Venetis contenderit, ut frumentum ex Apulia per Mare Adriaticum transmittere possit, cum annexa certioratione, Venetos sibi hoc officio se maxime devincire posse, quod longe majori compensare atque resarcire vellet. Sicuti vero exempla præcedentia ab *Auctore* in medium adducta, haud magno molimine gravique opera discussimus, ita & facile præsens dispescere poterimus. Varia vero ad id veniunt commonenda, quæ docent, & hoc exemplum dominio Regis Dalmatiæ, Principisque Istriæ in Mari Adriatico legitimo nullum adferre præjudicium. 1.) Cum Fridericus IV. Regnum Hungariæ, ac consequenter illud Dalmatiæ, cum eo conjunctum in possessione haud tenuerit, per ejusmodi Venetorum Dominii in Mari Adriatico comprobationem juri Regis Dalmatiæ nihil derogare potuisse, compertum est. Constat vero ex Scriptoribus, *Fridericum IV.* Hungariæ Regnum appetiisse, sed haud obtinuisse. Mortuo etenim Ladislao, Rege Hungariæ, a 1458. Hungari Matthiam Corvinum Regem crearunt, qui, facta electione, Legatum ad Imperatorem misit, ideo, ut Hungariæ coronam, quam Fridericus sibi vindicaverat, repeteret, ac in casu recusationis bellum Imperatori denunciaret. Interea vero Status quidam Hungarici coronam Friderico obtulerunt, itemque subsidia bellica ipsi promiserunt; *Roo. Lib. VI. Fugger. Lib. V. Cap. XII. Nauclerus p. 1087.*

Et pro-

Et produnt adeo quidam, jam antea Regem Hungariæ electum fuiſſe atque coronatum *Langkmann. ap. Freher. Tom. II. Edit. nov.* Rex vero Matthias, cum notitiam ejus ſit conſecutus, Simonem Magnum cum exercitu quodam ad Hungariam miſit ſuperiorem, ac ad fines quoque Auſtriacos, ut bona eorundem, qui Friderici tenebant partes, devaſtaret, tranſitumve Imperatori impediret. Prœlio poſtea commiſſo, victoriam quidem Imperator reportavit, alio vero deinceps prœlii concurſu Matthias copias Imperatoris disjecit, palmamque retulit. Quo facto pax tandem, intercedente Papa Pio II. fuit compoſita, ac Rex Matthias Hungariæ coronam reluere decrevit, quam quoque ad ſolutionem 60000. aureorum obtinuit. Fructus tamen Fridericus IV. ex hoc bello eos percepit, ut Neoſtadii tranſactio quædam fuerit compoſita atque conſignata, vi cujus Imperator Fridericus Matthiam adoptaret, Regnumque Hungariæ ipſi relinqueret, ſub hac tamen conditione, ut Matthia, poſteriſque ſuis extinctis, Regnum Hungariæ ad prolem ſuam recideret. *Roo. Lib. VII. Gobelinus p, 324. Bonfin. Dec. III. L. X. Fugger. L. V. C. XVII. Muller. P. IV. C. XXIX. Cuſpinianus p. 450.* Sufficit vero edocuiſſe, Fridericum IV. Regnum Hungariæ haud eſſe conſecutum, adeoque compertum eſſe, Imperatorem per comprobationem dominii Venetorum ex Epiſtolis ipſius, ab *Auctore* evictam, verum Regis Hungariæ atque Dalmatiæ in Mari Adriatico Imperium nec infringere, nec in dubium vocare potuiſſe. Et ſi forſitan obvertas, Imperatores Occidentis, cum verum legitimumque in imperium Orientis jus ipſis adhuc competat, Dalmatia vero Imperatoribus Orientis paruerit, ſuo utique juri potuiſſe renuntiare, ideoque Regis Hungariæ juri derogare. Sed ſimul in mentem revoca, Stephano, ultimo Rege Dalmatiæ extincto, Colomannum, Regem Hungariæ, Dalmatiam a. 1103. in ſuam redegiſſe poteſtatem, adeoque ex eo tempore Dalmatiæ Regnum ab Orientali Imperio fuiſſe avulſum, Hungariæque adnexum, ut eundem cum hac Principem agnoſceret. Id, quod ſimul ex eo conſtat, quod antea quam Dalmatia Regno Hungariæ acceſſit, Reges Dalmatiæ hac uſi ſint formula:

DEI

DEI & Imperatoris gratia Rex. Quandoque etiam: *DEI & Apostolicæ sedis gratia.* Ex quo ipso satis elucet eorundem ab Imperio & sacerdotio clientela. Verum Hungariæ Reges cum supremo imperio Dalmatiam susceperint, ut omissa vel *Imperii*, vel *Pontificis* mentione, se *DEI* tantum *gratia Dalmatiæ Reges* in libellis profiterentur. Hinc manifestum est, Imperium Orientis Dalmatiam Hungaris reliquisse, adeoque & Maris Adriatici Dominium ipsis legitime accessisse. Unde hodie Imperatores Occidentis non Jure Imperii Orientalis, jam ad Turcicam dominationem spectantis, sed *Jure Regni Hungarici atque Dalmatici* Maris Adriatici Dominium sibi vindicare possunt. Quare nec Fridericus IV. Imperator, jure Imperii Orientis, Maris Adriatici Dominium adrogare sibi potuit, nec jus suum Venetis cedere, cum nullum in illud habuerit. Invito vero legitimo domino, cum Imperator Venetos Dominos Maris Adriatici recte salutare haud potuerit: talis quoque dominii Venetorum agnitio qualiscunque demum sit, quod Regis Dalmatiæ verum in Mari Adriatico imperium infringere atque infirmare haud queat, manifestum est. 2.) Haud leve occurrit dubium, num Epistolæ ab *Auctore* proditæ sint avthenticæ, aut potius fictitiæ. Fundamentum vero hujus suspicionis haud mancum est atque imbecille. Id, ut eo magis pateat, quædam ex Historicis præmittamus. Veneti vero a. 1462. in bellum cum Turcarum Imperatore, Mahomethe II. inciderunt, quo Turcæ Arojam, Corinthum & Chalcem (Negroponte) expugnabant. Ac licet Veneti ultima auderent, ut hosti tam crudeli atque potenti resisterent, tamen adversa sua fortuna sunt coacti, ut pacem cum Turcis a. 1477. componerent, vi cujus Chrysopolis in Albania superiori (Scutari) Tenaro in Moræa, ac Lemnos, s. hodie Stalimene, Turcis permanserunt, ac Respublica Veneta pro libera in mari Nigro navigatione 8000. Ducatus præstare ipsis promitteret, ut varii Scriptores Italici ipsi fatentur. Ex quibus itaque colligo, quod cum Veneti iis temporibus magnis premerentur angustiis, maximisque essent afflicti difficultatibus, ita ut certam pecuniæ summam pro libero in

mari Nigro navigationis exercitio Turcis rependerent, ea haud gavisi sint potentia, ut Friderico IV. liberam in Mari Adriatico navigationem reddere difficilem, vel plane ipsi ea interdicere potuerint. Quare nec epistolis ad illam consequendam opus fuisse, nec Fridericum IV. eas ad Venetos exarasse, facile mihi persuadeo. Sed existant, nec ne? parum tamen vel nihil præsidii per eas caussæ Venetorum afferri poterit, ut ex supra adductis liquet.

Pos. LXXXVII.

Ipsos vero Reges Hungariæ liberum navigandi exercitium in Mari Adriatico contendisse, atque consecutos *Auctor* evincere putat. Hæc vero profert exempla, dum pergit: Haud exiguum esse signum atque monumentum Imperii Venetorum in Mari Adriatico, Epistolas *Beatricis*, *Matthiæ & Annæ*, Regis & Reginarum Hungariæ. · Contendisse etenim Beatricem ab Duce Veneto a. 1481. d. 31. Januarii, quod res quasdam ex Italia per Mare Adriaticum transmittere possit, id quod vero absque Venetorum consensu haud facere queat. Simul quoque iis significasse, se beneficium hoc, talemque amicitiam non grato solummodo animo agnoscere, sed vicem quoque ejus exsolvere velle. Num vero hæ litteræ quicquam pro Venetorum caussa probent, atque eandem evincant, ac Dalmatiæ Regi juri derogare quodammodo possint, inquirere jam atque pervestigare volumus, ac vel ex sequentibus erit cernendum. 1.) Epistolam Beatricis, Reginæ Hungariæ, ad Ducem Venetum, Joannem Mocenigum, a. 1481. d. 31. Jan. conceptam, nihil caussam Venetorum adjuvare, quam brevissimis ex eo sat cognoscitur, ut compertum sit, Beatricem sponsam fuisse Matthiæ Corvini, Regis Hungariæ, nec solam temporibus iis regnasse, adeoque nec in præjudicium Augusti Mariti, qui summa gavisus est potestate, ac juri suo renuntiare poterit, Venetis Dominium Maris Adriatici adscribere nisi absque ullo effectu potuit. Liquet vero ex Scriptoribus ab a. 1301. usque ad a. 1490. nullam Reginam *Beatricis* nomine insignitam, sceptrum Hungariæ solam tenuisse. Rege etenim Andrea, cogno-

cognomine Veneto, ab matre Thomansina Maurosina Veneta ita dicto, a 1301. extincto, Wenceslaus usque ad a. 1304. Otto ab a. 1304. - - 1307. & Carolus Robertus ab a. 1307. - - 1342. Regnum Hungariæ obtinuerunt. Huic succeffit Ludovicus I. filius, Rex Hungariæ ut & Poloniæ, Magnus dictus. Quem secutus est Sigismundus, Marchio Brandenburgicus, Filiæ Ludovici I. Mariæ desponsatus a. 1382. Post obitum Sigismundi Rex electus est gener ejusdem, Albertus Austriacus, cui Elisabetha erat desponsata a 1437. Eo vero a. 1439. mortuo, Ladislaus quidem VI. Posthumus legitimus erat successor, aliis vero de Regno disceptantibus, eoque mox mortuo, tandem Joannis Hunniadis Corvini, Vice-Regis filius, Matthias Hunniades, Comes Bistriciæ, Regnum Hungariæ est consecutus a. 1458. quo Ladislaus VI. Posthumus decessit. Hic vero Matthias a. 1490. d. 4. April. obiit. Quare, cum satis appareat, nullam iis temporibus Reginam Hungariæ fuisse, quæ sola Regnum tenuerit, ac itaque juribus suis potuerit derogare, aliisque cedere; facile hinc colligitur, Beatricem, sponsam Matthiæ Regis Mariti, summam tenentis potestatem, jura per Epistolas non potuisse imminuere atque labefactare. 2.) Et si in genere de Epistolis judicium feramus, eas quidem nonnunquam ad alicujus facti probationem multum adferre haud negaverim, easdem tamen præcedente de earum veritate pervestigatione parce ac sobrie esse in usum convertendas, neque sine discrimine iisdem fidem adscribendam, nulla ratione in dubium vocare possum. Litteræ enim Regum, summorumque Principum, in Commentariis plerumque Historicis, quos Galli *Memoires* vocant, reperiuntur consignatæ, ut patet ex iis, Ducis Nivernensis, (Duc de Nevers) *de Bellievre* & *Sillery*, de Pace Vervinienfi a. 1598. inter Reges Galliæ ac Hispaniæ composita. De qua vero materia optime consulas Dissertationem, cui est titulus: *Schediasma de Commentariis Historicis, quos Galli Memoires vocant, Lipsiæ 1708. in 4to.* His autem Commentariis Historicis haud nude esse applaudendum, sat docet *Langlet du Fresnoy* in der Anweisung zur Erlernung der Historie *Cap. XIV* von

 Memoi-

Memoiren oder *Commentariis*, ubi abusum eorum admodum frequentem, præsertim p. 259. dilucide ostendit. Hinc non immerito concludo, Epistolis ab *Auctore* prolatis fidem haud prius esse adscribendam, quam de veritate earum dilucide constet, quam vero *Auctor* neutiquam probat. Quid? quod etsi Epistolæ illæ utique essent genuinæ, in mentem tamen merito revocare debemus, tales Epistolas olim inconsiderate ac animo nullo præmeditato, neglectisque prorsus summorum Principum juribus fuisse consignatas, nec jura summa Regum aut Principum ex iisdem deducta atque evicta, sed potius Jura Gentium recepta, bella, fœdera &c. normas illas fuisse unicas, controversias illustres investigandi, decidendique; de qua re infra fuse disseremus.

Pos. LXXXVIII.

Conferimus nos vero ad alterius Epistolæ investigationem, quam *Auctor* his quidem tradit: Matthiam quoque ad Ducem Venetum, Joannem Mocenigum, conscripsisse litteras a. 1482. d. 16. Febr. ac in iis ipsi significare: Venetos Comitibus de Frangipanis, Zengeris aliisque hanc concessisse quotannis libertatem, ut frumentum ex Apulia petere potuerint. Cum vero loca illa ipsemet in sua teneat potestate, eandem libertatem quoque ab iis contendere. Id si Veneti concedere vellent, se pari officio hoc compensaturum fore. Porro pergit: Eundem Matthiam de libertate hac consequenda ad Ducem Venetum, Augustinum Barbadicum, a. 1487. d. 18. Octobr. concinnasse Epistolam. Cum etenim ad reparationem Castelli ad Narentam ligno indigeret, ab Venetis contendisse dicitur, quod illud ex Senia, (Zenus) per Mare Adriaticum transmittere possit, ac in hunc quoque finem Edicta publica promulgasse, quibus in longe graviori caussa Reipublicæ Venetæ officia sua offerat. Num vero & hæ litteræ tanti sint momenti, ut legitimo Regis Dalmatiæ in Mari Adriatico imperio obesse quodammodo queant, jam inquiramus, ac spectatis justis æquisque rationibus, vi sua atque efficacia eas facile privemus. 1.) Neminem in disceptationem vocare posse, censeo, litteris

litteris summorum Principum, nisi in Archivis reperiantur, haud temere fidem esse adscribendam. Scimus etenim, eas, quæ in Commentariis Historicis deprehenduntur, ut plurimum ex collectionibus privatorum, atque commerciis eorundem litterarum, quæ multis vero gravissimisque scatent vitiis, esse depromtas, ac in ejus, cujus partibus *Auctor* fuit adscriptus, esse conceptas. Haud tamen negaverim, eas, quæ a Legatis publicis in Commentariis Historicis traduntur, aliquo ex modo esse excipiendas, cum ipsis, utpote in negotiis Principum gravissimis versantibus, de hujusmodi Documentis optime constare possit. Verum enim vero, tamen quædam in iisdem deprehenduntur, quæ omnem suspecti notam haud effugiunt. Dum etenim a Dominis suis incitantur, ad hanc vel illam magni momenti caussam defendendam, atque dilucide evincendam, haud raro Diplomata in hunc finem fingunt atque Documenta, ut adeo ejus farraginis litteræ in Commentariis eorundem Historicis sæpius reperiantur. Et si eas in Archivis Principum quæras, frustra omnem operam impendis. Egregium hujus rei exemplum novissimum quidem in medium adducam. Nuperrime enim Rex Russiæ axioma Imperatorium sibi adrogavit, ac de Majestate sua Cæsarea adhuc valde contendit. Hinc varias prodidit litteras, quibus edocere vult, Imperatores quosdam antecedentes, gloriosissimæ memoriæ, Regibus Moscoviæ titulum Imperatoris communicasse. Præcipua vero qua innitur Epistola, est illa Maximiliani I. ad Basilium scripta, qua titulum Imperatoris ipsi tribuit. Sat vero a parte Cæsaris commonstratum fuit, litteras has esse suppositititas, nec in Archivo Cæsareo extare; adeoque earundem ex Archivo Russico probationem, utpote in propria caussa factam, nihil edocere atque commonstrare posse, dum instrumenta domestica in hoc casu ad statum probandi haud sufficiant, ut dilucide ostendit *Auctor* supra laudatus, des Politischen Bedenckens über die Frage 2c. *p. 31.* Conf. *Auct.* der grundmäßigen Untersuchung von dem Käyserlichen Titul, und in wie weit der Czaar von Rußland solchen *pretendi*ret. Ex quibus itaque colligi efficique potest,

ejusmodi litteris ab una tantum parte in propria causa productis, nec in alterius partis Archivo extantibus, ad statum probandi neutiquam sufficere. Cum vero *Auctor* haud edocuerit, litteras, quas prodit, in utriusque partis Archivis extare, vi sua atque efficacia utique destituuntur tam diu, usque probetur, tam in Regis Dalmatiæ, quam Venetorum Archivis certissime reperiri. Requiritur vero quoque, ut tales litteræ ostendantur in tabulis avthenticis, ut cognosci possit, eas omnibus carere vitiis. Sat etenim frequenter vitia circa linguam stylum &c. commissa notantur, id quod ex consuetudinibus temporum illorum, quibus sunt conscriptæ, optime potest perspici. Exemplum sat perspicuum, eadem præbet Epistola Maximiliani I. quæ ratione linguæ, styli, aliorumque, quæ requiruntur requisitorum, cum temporum illorum, quibus concepta dicitur, usu neutiquam convenit, adeoque admodum est vitiosa, ut commonstrat *Auctor* **der grundmäßigen Untersuchung rc.** supra citatus. Sic, cum non compertum sit, litteras ab *Auctore* proditas in Archivis extare, nec in Tabulis avthenticis eas *Auctor* communicaverit, plenissimam iis fidem adscribere haud potero. Nemo etenim tam credulus esse debet, ut nudo Scriptoris cujusdam asserto de Documentis atque Diplomatibus statim adsentiat. Ipse potius inquirere debet atque pervestigare, num 1.) tales litteræ in Archivis deprehendantur, 2.) necessariis instructæ sint requisitis, omnibusque vacent vitiis, 3.) in utriusque partis, inter quam agitatur controversia, Archivis reperiantur. 2.) Et si *Auctori* concedamus, Epistolas, quas prodit, utique extare, ac requisitis necessariis esse instructas, tamen hæc ideo ad caussam Venetam evincendam nihil adferunt, cum caussæ, ex quibus *Matthias* Epistolas illas ad Venetos scripserit, bene sint ponderandæ. Haud etenim de libero navigandi exercitio consequendo, sed de ligno atque frumento secure transmittendo sunt consignatæ, id quod ex iis, quæ *Auctor* docet, adeo est perspicuum, ut quisque facile hoc cernere atque intelligere possit. Ad quod accedit, quod Matthias, iis temporibus bello cum Imperatore implicitus, jure suo non tam stricte potuerit uti.

Num

Num vero ex quadam remiſſione juris ſui totum jus neglectum cenſeri, adeoque ipſi auferri poſſit, non liquet, nec ejus ullam video rationem. Anno etenim 1480. bellum cum Imperatore, Friderico IV. Matthias iterum renovavit, inde ortum, cum Fridericus ſummam illam pecuniæ, quam promiſerat, Matthiæ non exſolveret, ut & filiam ſuam denegaret. Reliquas belli cauſſas adducit *Roo Lib. IX.* quas quoque Matthias in litteris ad Ducem Saxoniæ ipſe recenſet, quæ *ap. Fugger. Cap. XXIX. Müller. Cap. LXXXII. Cuſpin. p. 410.* extant. Mox vero induciæ ſunt factæ, ut teſtatur *Roo Lib. IX. Fugger. Cap. XXIX.* Etſi a. 1481. Matthias novum ſuſciperet bellum, ut teſtatur *Fugger. Lib. V. Cap. XXX.* quod ſuſtinuit uſque ad a. 1490. quo vero Matthias morte eſt defunctus, pace nondum compoſita, *Roo Lib. X. Fugger. Lib. V. Cap. XXXVIII.* Cum itaque Matthias variis ad bellum gerendum ſubſidiis indigeret, ad ea conſequenda, ita quidem Venetis quicquam indulſit, ut tamen dominio ſuo legitimo non penitus derogaret.

Poſ. LXXXIX.

Porro, & ſi Matthias legitimo jure ſuo ſtricte voluerit uti, id ideo certe exercere plene potuerit, cum Veneti a. 1480. cum Hercule, Duce Ferrarienſi, bello contenderent, quo Ferrarienſem Ducatum ſuæ adſcribere voluerunt poteſtati, ac per ejus occupationem Monarchiæ in Italia, quam dudum jam erant meditati, viam facere. Pax vero inter eos tandem fuit compoſita, cujus conditiones varii Scriptores Italici fuſe tradunt. Ex his itaque apparet, quod cum ipſi Veneti bello eſſent impliciti, Matthiæ certe non potuerint tranſitum impedire, aut ipſi reſiſtere, ſi modo voluerit jus ſuum tali modo proſequi. Ipſe vero variis diſſidiis implicitus, alia bella evitare voluit, ac per litteras amicabiles ad Venetos ſcriptas, neceſſaria belli ſubſidia ſecura reddere, neque tamen per eas Venetis dominium quoddam maris adſcribere. In mentem vero veniunt duo adhuc momenta, quæ litteras ab *Auctore* prolatas ſua penitus deſtituunt efficacia, omnique

que pondere, quod *Auctor* ipſis tribuit. 1.) Requiritur, ut in dubiis ac controverſis ſummorum Regum atque Principum juribus, hujus vel illius jus ſeu dominium ita edoceatur, ut probetur, partem adverſam huic jus ſuum, cum omnibus requiſitis neceſſariis, tradidiſſe, pleneque reliquiſſe, immo & hanc pro legitimo omni tempore declaraſſe atque habuiſſe. Hinc intercedere debent pacta ſeu conventiones, ac pars petens, more inter Principes conſueto, hoc vel illud jus requirere, ſibique competere, dilucide commonſtrare debet. Extra etenim hunc caſum, ſi propria autoritate dominium uſurpetur, certe illud non niſi adſectatum dici, nec ei, cui legitime competit, talis uſurpatio de jure ſuo meliori quicquam derogare poteſt. Ac ſi legitimus dominus alteri quicquam tribuat, quod ejus dominium concernit, tamen hæc civilitas mere obligatoria atque conſociabilis erit cenſenda, nec remiſſio quædam vel ceſſio juris ſui melioris ex ea extorquenda. Ex his itaque principiis, omni æquitate ſuffultis, colligo, quod cum Veneti neque edocere poſſint, Reges Dalmatiæ Mare Adriaticum plene atque cum omni dominio, quod in eo habuerint, ipſis tradidiſſe, neque evincere, Reges Dalmatiæ ipſos Maris Adriatici dominos ſalutaſſe, nec commonſtrare per pacta ſeu conventiones, legitimum in Mari Adriatico imperium ſibi fuiſſe vindicatum, evidenter atque perſpicue ex his omnibus id eluceat, ut ex litteris, utpote re quadam meræ civilitatis, pro temporum ratione neceſſaria legitimum Venetorum Dominium in Mari Adriatico non poſſit extorqueri, nec unquam evinci, potius manifeſtum ſit, eorum imperium prætentum non niſi uſurpatum adſectatumque dici poſſe. Hæc ut eo magis pateſcant exemplo ſupra adducto, illuſtrare quodammodo volumus. Cum etenim ſupra fuerit commonitum, Regem Ruſſiæ axioma Imperatorium ex titulo litterarum quarundam contendere, Maximiliani I. illam quam prodit Epiſtolam, eſſe vitioſam, commonſtravimus. Quod vero hæc Epiſtola, etſi vere extet, tamen hæc Cæſarem haud commovere atque obſtringere poſſit, ad titulum Imperatoris Regi Ruſſiæ in ſui ipſius præjudicium adſcribendum, mani-

manifestum est. Sic etsi quoque provocet ad litteras Reginæ Annæ Magnæ Britanniæ, de a. 1709. M. Aug. quæ extant in lib. cui est tit. *Mercure Historique & Politique, p.378.* conf. quoque *p.375.* ubi Legati oratio ad Regem Russiæ reperitur, qua titulum Imperatorium ipsi tribuit: tamen cum ratio illorum temporum, aliæque circumstantiæ id exegerint, Rex Moscoviæ, ex jure quodam quæsito, titulum Imperatoris prætendere, ac ex mera quadam civilitate jus legitime sibi competens evincere haud poterit, ut docet supra citatus *Auctor* des Politischen Bedenckens, *§. XXI. & XXX.* Sicuti itaque Rex Moscoviæ ex fundamento litterarum, quibus axioma Imperatorium ipsi conceditur, titulum Imperatoris neutiquam exigere atque exposcere ab Cæsare, aliisque Principibus possit: ita nec ex majori ratione, ob litteras Matthiæ, Regis Hungariæ, aliorumque, Dominium Maris Adriatici sibi vindicare in præjudicium Regis Dalmatiæ poterunt Veneti. 2.) Alterum, quod occurrit, momentum, hoc quidem est, quod pollicitationes ac sincerationes, quæ in usum commodum, ac ex ratione quadam politica, aliisque circumstantiis fiunt, quas *Compliments* nominare solemus, ubi unus Princeps alteri, sed ad tempus tantum quoddam, jus sibi legitime competens adscribit, & officia studiaque nullo non tempore promtissima prolixe pollicetur &c. parum prosint, nec sufficiant, ad jus quoddam vel dominium sibi vindicandum. Solemnis potius requiritur agnitio, ita ut inter sese conveniant, ac huic vel illi jus vel dominium controversum nude atque privative adscribatur, immo pro ratione circumstantiarum omnibus præstruatur incommodis. Conf. *Auct. sæpius cit.* des Politischen Bedenckens &c. Quare etsi in litteris Matthiæ Venetis aliquid fuerit concessum, quod quodammodo pro dominio eorum possit explicari, tamen id impedire haud poterit, quo minus Rex Dalmatiæ jurisdictionem suam in Mari Adriatico haud urgere atque defendere possit, cum rationes non solum politicæ, circumstantiæ pro variis temporibus occurrentes, sed vis quoque atque effectus harum litterarum in mentem revocari, ac rite solliciteque inspici ac ponderari debeant.

Pos. XC.

Restant vero adhuc litteræ Annæ, Reginæ Hungariæ, quas his quidem profert *Auctor:* Annam Reginam Hungariæ pari modo a Venetis contendisse, ut ex Apulia & Marchia frumentum ad Zeniam transmittere possit, dum hæc regio sit sterilis, hocque beneficio se sibi maxime obstringere posse atque demereri a. 1502. d. 30. Aug. Hasce vero litteras pro Veneta caussa neutiquam pugnare posse, nec eandem evincere, dilucide jam edoceamus, commonstraturi, Annam iis temporibus Regnum Hungariæ nondum tenuisse, neque ob teneram adhuc adolescentiam ipsi præesse potuisse. Defuncto vero Matthia, Rege Hungariæ, a. 1490. Regnum consecutus est Uladislaus II. Regis Poloniæ Casimiri filius, ut & Rex Bohemiæ, ideo quidem, quia viduam Matthiæ Beatricem, sibi desponderet. Compertum quoque est, sub hujus Regis regimine maxima Hungaros perpessos esse damna, inprimis in bello cum Maximiliano I. gesto. Acerrime etenim cum Hungaris super Regno certavit, animo succedendi, neque pace jam facta, abjecto. Inde quoque excusanda, quod vulgus objectat, tituli insolentia, quo *plurium Europæ Provinciarum Regem ac Principem* se dixit scripsitque. Ætate etenim jam provecta, quartam meditatus est sponsam, nempe hanc ipsam (de qua huc quæritur) Annam, Regis Uladislai, Hungariæ & Bohemiæ filiam, ac sine dubio matrimonium fuisset consummatum, nisi Ministri ejus atque Status Hungariæ immaturum illud atque impar matrimonium astutis consiliis impedivissent, dum eam Ferdinando Nepoti desponsarent. *Heuter. Lib. VII. Cap. XVII.* Ac etsi Hungari, ob varia diffidia, continuasque turbas, commoti a. 1505. decretum quoddam constituerint, vi cujus nullus exterus Regni Hungariæ erat capax, Anna vero Ferdinando I. desponsata, effectu suo iterum fuit destituta. Matrimonium vero a. 1521. fuit consummatum, & Anna a. 1546. morte est defuncta. Vid *Sigism. a Saraw apud Chytræum L. XXI. Heuter. L. VIII. C. XI.* Sufficit vero, ex his patescere, Annam a. 1502. in tenera adhuc consti-

constitutam adolescentia, nec Reginam Hungariæ fuisse, adeoque nec litteras ad Venetos, de libero navigandi exercitio in Mari Adriatico consequendo, exarasse. Non itaque video, quomodo *Auctor* has litteras potuerit allegare, cum eæ nunquam exstiterint, neque extare possint. Anna demum a. 1527. d. 28. Octobr. quo ejus sponsus, Ferdinandus I. coronam Hungariæ est consecutus, Regina fuit salutata. Id quod simul exinde patet, cum Patri Uladislao a. 1516. in Regno successerit Filius, Rex Ludovicus, (Ante DIeM natVs) de quo ex Historicis multa constant. Quilibet itaque facile intelligit, litteras has proditas vel nimio adulandi studio fuisse suppositas, vel *Auctorem* alias voluisse innuere. Sed quicquid sit, sufficit, ex his patescere, caussam Venetorum illas Annæ litteras, nunquam forsitan in rerum natura extantes, nihil adjuvare.

Pos. XCI.

Unicum denique adhuc profert *Auctor* exemplum, quo Venetorum dominium evincere putat. Ita vero illud tradit: Memoria repetendum esse, quod Joannes Duranus, Capitaneus Pisiniensis (Pisinio) Cæsari Maximiliano a servitiis in litteris ad Ducem Venetum, Leonardum Loredanum, sit conquestus, Jacobum Croatum, Majestatis suæ Cæsareæ servum, cum Fianonæ navem ascenderit, quæ urbs Reipublicæ Venetæ pareat, Zeniamque adierit, a nave quadam piratica fuisse invasum, quæ, non sine maximo Reipublicæ Venetæ ludibrio, mare piraticis infestaret sceleribus, adeoque petierit, ut Veneti huic malo prævenirent &c. Sed quæso! quid hæc ad Venetorum dominium probandum adjuvant. Supra jam de hac materia disserui, atque edocui, prædarum exstirpationem a Venetis peractam, legitimum eorundem in Mari Adriatico imperium neutiquam edocere atque probare. Illa vero huc repetere non placet, ne repetitione tam otiosa Lectori molesti simus. Ipsum tamen exemplum accurate intueamur, ac inquiramus, ita, ut perspicuum esse possit, nihil prorsus ad *Auctoris* sententiam confirmandam adferri.

Auctor quidem non indicat, an putet Maximilianum I. seu II. (facile vero eum Maximilianum I. innuere colligo) cum Leonardus Loredanus, quem *Auctor* adducit, iis temporibus Dux fuerit Venetus. Itaque facile apparet, exemplum hoc ab *Auctore* infelici sane successu ad statum probandi fuisse adductum, cum Maximilianus I. nec Hungariam, adeoque nec Dalmatiam in sua tenuerit potestate, sed Uladislaus legitimus Hungariæ Rex fuerit, huic itaque per litteras ab *Auctore* proditas de jure suo nihil potuerit derogare. Bellum quidem Maximilianus cum Hungaris de Regno gessit gravissimum, sed pax postea fuit composita, pactaque singularia sunt facta. 2.) Sane Maximilianus, si Rex Hungariæ, adeoque Dalmatiæ fuisset, litteris, ad consequendam a Venetis liberam in Mari Adriatico navigationem, neutiquam indiguisset, cum compertum sit, ac passim supra commonuimus, quod parum abfuerit quin Reipublicæ Venetæ exitium attulisset. Omnia etenim Cæsari obtulerant, ita ut pro lubitu suo limites fingere atque statuere potuisset, dummodo salvam ipsis relinqueret urbem ad mercaturam. Sed Cæsare id renuente, ulteriores meditante progressus, adversio postea aliorum, consilia ejusdem plane mutavit, ac adeo, quæ Veneti sponte obtulerant, ipsi sunt erepta. Semper etenim id observatum fuit, nunquam Italos Venetorum Rempublicam interire passuros, sed hos neque Venetis majora contra Austriacos optare incrementa. Galli quoque, cum Venetorum exitium appropinquare viderent, statim iis auxilia tulere, Remque publicam eorundem adversus Maximilianum, quem tamen ad bellum contra Venetos incitaverant, ac fœdus in hunc finem expresse cum eo inierant, sunt contuiti. Non displicet hac in parte egregium judicium Viri consummatissimi, Philippi Melanchtonis, quod de bello illo tulit. Scribit nempe ad *Chron. Carionis*, a se auctum, ita: *Finitum est hoc exitu bellum, confœderatione Regum contra Venetos susceptum, memorabile exemplum cupiditatum & affectuum in Regibus inconstantiæ ac mutabilitatis voluntatum humanarum, incertæ dubiæque fidei fœderum & tristissimi exitus non necessariorum bellorum.* Patere vero ex his

potest,

poteſt, quod, ſi Maximilianus I. ex ſententia votoque ſcopum ſuum eſſet conſecutus, certe de libera atque ſecura in Mari Adriatico a Venetis obtinenda navigatione nullas concepiſſet litteras. Neque iis temporibus concinnaſſe eas, animo concipere poſſum, cum Veneti extremo perfuſi eſſent terrore, ac bello jam finito, Cæſaris potentiam non parum extimeſcerent. Sed multum diſceptare atque contendere non proficit, num litteræ Maximiliani I. extent nec ne, cum ex utraque parte Venetorum Dominium in Mari Adriatico nec evincant, nec comprobent. Cæterum quoque de falſitate harum litterarum ſuſpicio ex eo mihi facta eſt, ut loca hæc *Piſinio Fianona* in Geographicis nullibi deprehendere poſſim.

Poſ. XCII.

Cum itaque ea, quæ *Auctor* huc uſque magno conatu, maximoque animi fervore pro cauſſa Veneta diſſeruit, ſollicite atque pro facultate indagaverimus, eademque diſpeſcere atque convellere, omni modo fuerimus ſolliciti, ultimum quoque adhuc momentum, quo cardinem rei latere autumat, paucis adhuc perveſtigare atque inquirere, neque illud Venetorum in Mari Adriatico Dominium eruere ac commonſtrare volumus. Memini quidem, jam ſupra de donatione Pontificis, Alexandri III. quam *Auctor* in fine Epiſtolæ urget, ſuſe fuiſſe actum, ſatisque commonſtratum, eandem cauſſam Venetam non comprobare, atque legitimam evincere: Huc tamen ideo ſupra dictis quædam addamus, ut eluceat, donationem hanc Pontificiam ab *Auctore* perperam ac ſine effectu tam acriter urgeri. Ceremonias vero deſponſationis quotannis Maris Adriatici multis verborum ambagibus recenſet, eandemque maximi eſſe momenti vel inde opinatur, quod præſentibus quibusdam Legatis his verbis perficiatur: *Deſponſamus Te Mare in ſignum perpetui dominii.* Addit poſtea ea, quæ de donatione Pontificia tradunt, ac notiſſima ſunt, nec huc repetenda. Sed præterea, quod L. B. ad ea, quæ ſupra fuerunt commonita, inprimis, quæ de uſurpatione Juri Gentium

 contra-

contradicente, adeoque reprobanda, nullumque habente effectum, late sunt adducta, decenter remittamus, non possumus non, de eadem re, & quatenus territorium quis dicatur in mari habere, aut etiam dominium, huc laudare ac L. B. commendare parvum, sed doctum utilemque tractatum *Roderici Suarii de usu maris*, ac omnibus his hæc quidem superaddere, ut cuilibet omnibus illis rationibus rite exploratis atque perpensis, non nisi inanis omnis Venetorum prætextus videri possit in Mari Adriatico, cujus dominium sibi vindicant, titulo ab Alexandro III. Pontifice mutuato, quem ajunt illorum Ducem a prœlio navali, in quo victoriam Veneti obtinuerunt, & Friderici Barbarossæ filium ceperant, Venetias revertentem in faucibus ipsius maris, duplici propugnaculo munitis excepisse, & aureo annulo ei in digitum inserto, Rempublicam Venetam Dominio Maris Adriatici, tanquam belli jure acquisito, donasse, uti refert *Sabellicus*. Et hinc ortæ sint ceremoniæ desponsandi maris, quotannis in festo ascensionis Domini, quod idem Pontifex mare Venetorum dominio subjectum dixerit, tanquam uxorem marito. Cæterum non leve mihi in animum incidit momentum, quod donationem illam Pontificiam plane evertit. Perperam etenim ceremoniæ desponsandi maris a Papa constitutæ cum donatione Dominii Maris Pontificia proprie sic dicta confunduntur. Pontifex Auctor quidem fuit ceremoniarum desponsandi maris, neutiquam vero proditæ donationis. Etsi etenim Alexander III. Duci Veneto, Sebastiano Ziani, multa variaque præstiterit officia, dum ipsi de auxilio sibi præstito contra Fridericum I. ut & de restituta dignitate Pontificia varia Regalia extranea, e. g. tubas argenteas, ombrella, Bullas blumbeas, & hujuscemodi insignia muneri dederit: tamen prætentum illud Maris Adriatici a Venetis Dominium, multo aliud est jus, quam institutio hæc ceremoniarum desponsandi maris Pontificia. Cui accedit, quod, cum Pontifex Actum hunc celebraverit, ac, dum annulum Duci traderet, in oratione ab ipso tunc habita, atque a Scriptoribus consignata, his usus sit verbis: *Hunc annulum accipe, & me Auctore ipsum mare*

mare obnoxium Tibi reddito, quod Tu Tuique Successores quotannis statuto die servabitis, ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem victoriæ jure vestram fuisse. Sed ratio nulla suadet, plura de donatione hac Pontificia, ut vana atque inani jam supra evicta, huc differere. Num vero ceremoniæ desponsandi maris, quas indubitatum, imperii Venetorum in Mari Adriatico esse ajunt, Regis Dalmatiæ legitimam in ea jurisdictionem evertere possint, quilibet mente facile comprehendere poterit, si Actum ex usurpatoria potestate institutum, vero suo atque legitimo destitui effectu, probe apud animum cogitaverit. Juris enim naturalis est, actus usurpatoris nunquam convalescere, neque ex iis legitimum dominum teneri. Cum etenim jure dominus non sit, nec actus legitimos celebrare potest. Et si rite pensitemus, unde dijudicari debeat, exercueritne quis actum aliquem suo jure, an indulgentia alterius, dicendum utique erit, expressam agentis requiri declarationem, se non jure familiaritatis, vel tolerantia alterius, sed ex facultate sibi competente id agere, neque alia intentione istos actus exercere, quam ut in quasi-possessione constituatur. Sic censet *Cavalcanus Lib. V. Decis. I. n. 32.* quod *nisi quis probaverit, se cum vellet acquirere jus aliquod, expresse declarasse, quod jure suo utatur, & quod adversarius sciverit, non jure amicitiæ vel familiaritatis, sed suo proprio, se actus istos interposuisse, non probari possessionem, & ex ea provenientem præscriptionem. add. Hondedeus V. 1. Cons. 79. n. 49.* Cum vero Veneti nec ex facultate sibi competente, nec ex jure suo proprio, sed usurpativo, actum illum desponsandi maris quotannis celebrent, illum non probare posse Maris Dominium, nec Regis Dalmatiæ imperio in eo legitimo obesse atque derogare posse, manifestum est. Quam vane denique frustraque quidam donationibus Pontificiis nitantur, easque in subsidium vocent, simul cognoscitur ex iis, quæ de donatione Pontificia Alexandri VI. venditant Lusitani, pro dominio suo in Indos evincendo. Attendendum etenim potissimum fuit, volueritne Pontifex contentiones tantum Lusitanorum & Castellanorum dirimere, quod

potuit

potuit sane, ut lectus inter illos Arbiter, sicut & ipsi Reges, jam ante inter sese ea de re fœdera quædam pepigerant; vid. *Osorium.* Et hoc si ita est, cum res inter alios acta sit, ad cæteras gentes non pertinebit: an vero prope singulos mundi trientes duobus populis donare. Quod etsi voluisset & potuisset Pontifex, non tamen continuo sequeretur, dominos eorum locorum esse Lusitanos, cum donatio non faciat dominum, sed secuta traditio; vid. *§ 40. Inst. de Rer. Divis.* quare & huic causæ possessio deberet accedere. Tum vero, si quis jus ipsum, sive divinum, sive humanum, scrutari vellet, non autem ex commodo suo metiri facile deprehendet, donationem ejusmodi, ut rei alienæ, nullius esse momenti. De qua vero re ex instituto egit *Grotius in Differt. de Mar. libero.* add *Vasq. in Controvers. illustr. Part. I. Lib. I. Cap. XXI. & XXII.* ad quos L. B. decenter remitto. Sed diu in hoc argumento sumus commorati, quare ea, quæ *Auctor* in fin. Epist. adhuc profert, sequenti §. investigare atque discutere volumus.

Pos. XCIII.

Nulla suadet ratio, ut voces, quibus dominium Venetorum in dubium vocans, increpitat *Auctor*, huc repetamus, cum ad rem evicendam nihil adferant. Unicum vero, quod notavimus, huc commoneamus, quod *ipse* in præjudicium atque damnum dominii Venetorum antea tam valde ab ipso laudati profert. Cum etenim multa de jure Venetorum certissimo sit præfatus, ac injustitiam atque audaciam eorum execratus, qui dominium Venetorum infringere conantur, maximam illos Venetis inferre injuriam, pergit, qui Mare Adriaticum hostili animo turbant atque pervagantur, grassantur in eo, illudque pervadunt absque expressa voluntate ac concessione Reipublicæ Venetæ, ac existimant, sese id impune, ac sine damno Venetorum atque præjudicio, perficere posse &c. Ex his vero firmum certissimumque contra Venetos effici, colligique potest argumentum, quod perperam prodant, sese per multa secula Maris Adriatici Dominium continue, quiete, ac absque ulla

ulla turbatione obtinuisse. Id quod, ut partim supra ad titulum præscriptionis, quo innituntur Veneti, commonuimus, ex hisce *Auctoris* verbis magis magisque comprobatur. Itaque *Auctor* sibi ipsi contradicit, cum antea claris verbis tradat, Venetos nullo plane contradicente, Dominio Maris Adriatici per aliquot secula esse usos. Jam vero ipse fateatur, Mare Adriaticum ab exteris hostili animo fuisse invasum, atque ab iis pervagatum. Et hoc perquam esse certissimum indubitatumque, exempla, quæ supra partim adduximus, partim nostris temporibus cuilibet patent, satis declarant atque commonstrant. Consentientem in hac re habeo *Franckenbergium*, qui dominium Venetorum tam laudatum atque celebratum per invasiones atque piratarum excursiones valde fuisse interversum ac interpolatum, optime judicat. Verba vero ejus, quæ in opere, notitia Regum, Principum totius Europæ, S. R. Imperii ejusque Statuum instructissimo, des Europäischen Herolds, reperiuntur, hæc sunt: **Ob aber diese so belobte *Souverainität* durch die beyden letzigen Kriege mehrmals schon eingelauffene Frantzösische Krieges-Schiffe und Capers kein *Prejudiz* erlitten habe, ist leicht zu urtheilen.** Opinionem vero, quam addit, aliquorum, qui produnt, vi jure Majestatis seu Regalium, quemlibet superiorem navigationem in aquis suo territorio insertis, exteris defendere posse, multas pati exceptiones, manifestum est. Nec hæc opinio hoc in casu locum quendam invenit, cum Mare Adriaticum Venetorum territorio neque sit insertum, neque unquam ad illud pertinuerit. Docuimus potius, omni tempore cum Regno Dalmatiæ fuisse connexum, & ex eadem ratione Regi Dalmatiæ juste adscribi. Præterea argumentum longe est certissimum, quod ex Doctorum communi sententia comprobatur, tam in mari, quam etiam in terra, quæ cum populis, tum hominibus singulis in proprietatem attributa est, iter tamen certe inerme & innoxium, ut & transitum nullius gentis hominibus juste negari, sicut & potum ex flumine. Ratio apparet, quia cum unius rei naturaliter usus essent diversi, eum

O dunta-

duntaxat gentes divisisse inter se videntur, qui sine proprietate commode haberi non potest, contra autem eum recepisse, per quem domini conditio deterior non esset futura. Omnes itaque vident, eum, qui alterum navigare prohibet, nullo jure defendi, cum eundem etiam injuriarum teneri, *Ulpianus* dixerit *Lib. II. §. 9. π. ne quid in loc. publ.* Communi itaque hæc jure nituntur, cum fateantur omnes, liberam esse cæteris paribus in mari navigationem. Reges vero, summosque Principes Maris Dominium, salva tamen exteris navigatione innoxia, sibi vindicare posse, extra omne dubium positum est. Concinne in hanc rem *Grotius: Falluntur*, inquit, *qui hæc ita putant naturalia, ut mutari nequeant: sunt enim naturalia non simpliciter, sed, quod certo rerum statu, id est, si aliter cautum non sit, Germaniæ autem populi, cum Principibus & Regibus, bona quædam essent assignanda, inde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusdam tribui possint, cujusmodi sunt res omnes, quæ in dominium nullius pervenerunt. L. II. d. J. B. & P. Cap. VIII. num. 5.* Quibus verbis utique ipse innuere vult, quod Reges ac Principes Maris Dominium recte sibi vindicent. Alio deinde loco Dominium Maris duabus rationibus acquiri posse, censet. Nempe 1.) ratione personarum, 2.) territorii. Ratione personarum, ut si classis, quæ maritimus est exercitus, aliquo in loco maris se habeat, nempe imperio temporario, ut Hannibal interpretabatur, solum esse suum, quod captum bello possideret, haberetque castris, ad urbem positis, *Liv. 26. 11.* Cæterum hæc classium autoritas inde cognoscitur, quod classem prætervenientis una, navis vela submittere compellitur. Ratione vero territorii, quatenus ex terra cogi possunt, qui in proxima maris parte versantur, nec minus, quam si in ipsa terra reperirentur. Requiritur vero, ut ex justa legitimaque fiat caussa. Hinc Veneti neutiquam prætendere possunt, sese ratione territorii Dominium Maris occupasse, cum nec ad territorium illorum pertineat, nec legitimo domino, cui jam antea de jure competiit, potuerint eripere. Sane, si Mare Adria-

Adriaticum pro re nullius potuerit haberi, omni dubio vacat, Venetos illud de jure occupare potuisse. Cum vero contrarium pateat, certe usurpativa occupatio atque adfectatio dominii nullum jus in mare legitimum evincere potest. Hæc vero, utpote Juri Gentium consentanea, cuilibet facile patent.

Pos. XCIV.

Jam vero commemorata ideo in medium adduximus, ut elucescat, nec ratione territorii Rempublicam Venetam Maris Adriatici Dominium sibi adrogare posse. Quod reliquum est, finem confutationi Epistolæ *Auctoris* hic impono, ac argumenta ejusdem pro facultate fuisse disquisita atque examinata, persuasum mihi habeo. Prius vero quam finem huic opusculo præfigamus, expedit omnino, ut omnibus his quædam, ratione territorii, vi cujus Veneti Maris Adriatici Dominium sibi adscribunt, superaddamus. Compertum etenim est, Rempublicam Venetam Regnum Dalmatiæ, cum quo Maris Adriatici Dominium conjunctum est atque connexum, temere sibi adrogare. Quare, etsi supra jam evidenter atque perspicue fuerit edoctum, Regnum Dalmatiæ Regibus Hungariæ legitime accessisse, tamen id egregiis adhuc rationibus atque argumentis hic evincere atque corroborare, haud incongruum erit, nec ab instituto alienum.

Pos. XCV.

Fundamentum vero, quo jus Cæsaris legitimum, qua Regis Hungariæ, innititur, ex Historicis utique venit repetendum. Cum etenim ultimus Rex Dalmatiæ atque Croatiæ, Zolomerus, sine liberis decederet, omnes regiones Sponsæ suæ Ladislai, Regis Hungariæ, Sorori, legavit, quæ vero easdem Fratri atque ejusdem Successoribus testamento reliquit, simul cum expresso hoc mandato, ut Dalmatiam & Croatiam Regno Hungariæ in perpetuum insererent, quod etiam post mortem Reginæ fuit ad-

impletum. Vid. *Bonfin. Rer. Hungar. Dec. II. Lib. IV. p. 115. Joann. Thuvrocz. Chron. Ungar. P. I. Cap. LVI. p. 64.* & ex iis *Spener. in Histor. Insign. Lib. I. Cap. IX. §. 27.* Sequentibus vero temporibus partim Veneti, partim Turcæ, quædam Dalmatiæ loca defalcarunt. Hinc varia inter Reges Hungariæ ac Rempublicam Venetam bella sunt orta. Vid. *Bonfin. de Reb. Hungar. & Nadan. in Flor. Hungar.* hinc inde. Præsertim Rex Hungariæ, Ludovicus, a. 1358. plurima Dalmatiæ loca iterum recuperavit, quod bellum præcipue est notandum, cum Veneti omnia Hungaris restituerint, quæ injuste ipsis eripuerant, Dominium etiam Maris Adriatici, ut supra docuimus, atque ex *Instrumento Pacis* comprobavimus. Vid. *Bonfin. Rer. Hung. p. 145. sqq. Nadan. in Flor. Ungar. p. 133. Rewa. Rer. Ung. p. 23.* Rex etiam Sigismundus jus illud restauravit a. 1405. Cum itaque omnia Regum Hungariæ jura ad Austriacos sint devoluta, Regnum quoque Dalmatiæ legitime eis accessit. Consent. *Schurtzfleisch. in Differt. de Super. Ung. convers. in App. §. 5.* Hoc igitur firmum atque inconcussum Domus Austriacæ est fundamentum, quo Regnum Dalmatiæ legitime sibi vindicat, brevissimis jam edoctum, ex Scriptoribus vero fusius adhuc eruendum.

Pos. XCVI.

Nihilominus tamen Veneti variis ex rationibus, ficulneis vero, admodumque jejunis, Regnum Dalmatiæ sibi adrogare conantur. Produnt vero 1.) eam partem Dalmatiæ, quæ mari adjacet, Duces vel Reges Dalmatiæ, aut nunquam dominos suos agnovisse, aut tamen Venetis prius paruisse, quam Regnum Dalmatiæ Hungaris accesserit. Temporibus etenim Caroli M. ajunt, Dalmatiam Imperatoribus Orientis paruisse, secundum *Eginhardum, in Vita Caroli M. Cap. XV.* ubi inter ea, quæ Carolus M. armis acquisiverat, etiam Dalmatiam refert, sed addit: *Exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit.* Cum vero

Impe-

Imperatores Orientis eandem partem Dalmatiæ maritimam contra Saracenorum prædas non ſatis eſſent contuiti, eandem a. 999. Venetorum imperio ex libera voluntate ſe ſubjeciſſe, conſentientibus quidem Imperatoribus Orientis, Baſilio & Conſtantino, *Boxhorn. in Hiſt. Univerſ. p. 579. 580.* Hinc & quidam Duces Veneti illorum temporum titulum Regis Dalmatiæ atque Croatiæ ſibi adſeruerint, ut tradit *Al. Anton. Marcelli de jur. Sec. R. Pontific. Cap. XIX.* Quare etſi Reges Hungariæ emporia illa maritima ſub poteſtatem iterum ſuam voluiſſent ſubjungere, nunquam tamen iisdem eſſent potiti.

Poſ. XCVII.

Hæc vero Venetorum prodita facile concidunt, ſi ſequentia ponderemus. Notiſſimum vero eſt, Regnum Dalmatiæ Ducibus Regibusque Hungariæ plene fuiſſe vindicatum. Quomodo itaque horum Succeſſoribus derogare id quicquam de jure ſuo potuit, ut quædam loca Dalmatiæ maritima Venetorum ſeſe ſubjecerint dominio, annuentibus Imperatoribus Orientis? Sane ex propria poteſtate atque autoritate cum alieno dominio ſeſe neutiquam potuerint ſubmittere, manifeſtum eſt, illam alieni dominii agnitionem ipſo jure fuiſſe nullam, ſuaque deſtitutam efficacia. Quod reliquum eſt, in dubitationem adhuc adducendum, ac in quæſtione eſt, nec a Venetis ſatis evictum, num Dalmatiæ illa pars ſe *ſponte* ipſorum dominio ſubjecerit? ut dilucide oſtendit *Schurtzfleiſch. in Diſſert. de Super. Ungar. converſ.* §. 5. ubi docet: Oram hanc maritimam Dalmatiæ, quam ſibi adrogant Veneti, Regibus Hungariæ fuiſſe ſubjectam? Quid? quod manifeſte patet, Venetos demum, temporibus Sigismundi, plurima Dalmatiæ emporia occupaſſe, Hungarisque injuſte eripuiſſe, dum Cæſareum Præfectum, Piponem, muneribus peſſime ſuffarcinaverint, teſte *Bonfin. Rer. Ungar. Dec. III. Lib. III. p. 401.*

Pos. XCVIII.

Tradunt vero Veneti 2.) Regem Hungariæ, Ladislaum, partem quandam Dalmatiæ ipsis pro certa pecuniæ summa vendidisse, adeoque ex titulo emtionis-venditionis cum omni jure legitime ipsis accessisse. Titulum vero hunc a Venetis allegari, docet *Amelot de la Houssaie, en son Histoire du Gouvernement de Venise, p. 153.*

Pos. XCIX.

Sed perperam certe obtendunt Veneti, Ladislaum aliquam Dalmatiæ partem ipsis vendidisse, cum satis superque edoceri possit, eundem tantummodo quædam Dalmatiæ loca pro 100000. aureis ipsis oppignorasse. Conf. *Franckenberg.* Europäischer Herold, *P. II. p. 519.* Hinc Rex Wenceslaus, cum Veneti bello gravissimo cum Cæsare atque Rege Galliæ essent impliciti, eorum restitutionem valde ursit, ac in casu renutus, vi armorum eadem occupare, est comminatus. Summam vero pecuniæ cum paratam non habuerit, reluitio quidem est inclinata: nihilominus tamen eadem Regibus Dalmatiæ omni tempore salva remansit, atque invetita. Sic docet *Amelot de la Houssaie d. l.* Itaque, etsi Veneti emporia illa Dalmatiæ maritima in sua adhuc teneant potestate, manifestum est, summa illa pecuniæ exsoluta, Venetos loca oppignerata restituere debere, nec ea titulo emtionis-venditionis plene sibi vindicare posse. Denique etsi spectes, qua ratione loca illa Dalmatiæ acquisiverint, id plerumque in litigiosis Regum Hungariæ successionibus nullo jure fuisse factum, compertum facile habere poteris.

Pos. C.

Venditant denique 3.) contentiones eas, quas Reges Hungariæ cum Republica Veneta de Regno Dalmatiæ habuerint, per varia pacta inter Hungaros Venetosque composita, fuisse definitas. Et hoc potissimum fundamento sese inniti Venetos, commonstrat *Schurtzfleisch. in Dissert. de Super. Ungar. convers. §. 5.*

Pos. CI.

Pos. CI.

Neutiquam vero hæc veritati respondere, inde elucet, ut pateat, pactas inter Austriacos Venetosque conventiones haud concernere Illyriam atque Dalmatiam, sed Istriam tantum & Foro - Julium, ut satis evincit sæpius laudatus *Schurtzfl. l. cit.* Hungariæ itaque Regibus jura in Dalmatiam universam semper permanserunt illibata, ac perpetuo ejus nominis in libellis usu sunt conservata, nec loca, quæ Veneti adhuc tenent, cedere ipsis plenissime, unquam statuerunt, ut potius in novissimis bellis Turcicis plurima Dalmatiæ loca recuperaverint. De præscriptione, ad quam plerumque confugiunt, dispicere hic non lubet, nec necesse est, cum ea ipso Titulo atque Insignibus Regni Dalmatiæ, quæ Domus Austriaca omni tempore retinuit, eludatur. Vid. *Spener. in Hist. Insign. Lib. I. Cap. IX. §. 77. & Giovann. Germ. Princeps Lib. I. Cap. II. tit. Dalmatia.* Ipse etenim tituli usus legitimi in Regnum Dalmatiæ juris adversus Venetos repetit memoriam, qui plurima Dalmatiæ loca Hungariæ Regibus per vim eripuerunt.

Pos. CII.

Hæc itaque ideo fuerunt commonenda, ne quidquam superstitet atque remaneat, quo subniti sese Veneti atque confidere, ac jus adhuc aliquod in Regnum Dalmatiæ, adeoque & in Maris Adriatici Dominium cum eo conjunctum sibi vindicare possent. Accedit, quod hoc præcipuum summumque sit fundamentum, quo totum Cæsaris jus, qua Regis Hungariæ, in Dominium Maris Adriatici sit suffultum. Si etenim legitimum Imperatoris jus in Dalmatiam ipsi adimas, certe & Maris Adriatici Imperium cum hoc connexum atque conjunctum simul eripis. Quare speciatim uberiusque hoc loco fuit persequendum. Unde, cum & præcognitum habeam, Pontificem Romanum jus quoddam in Regnum Dalmatiæ sibi adsciscere; non alienum videtur, neque abs re visum est, si illud pari modo hic evertamus, ac jus

Domus Auſtriacæ in Regnum Dalmatiæ, & conſequenter in Maris Adriatici imperium reddamus contra Pontificem indubitatum atque inconcuſſum.

Poſ. CIII.

Fundamentum vero Pontificis Romani, ex quo jus quoddam in Dalmatiæ Regnum ſibi competere autumat, hoc quidem eſt, ut prodat, Ducem Dalmatiæ atque Croatiæ, Demetrium, haſce Provincias Sedi Papali a. 1076. ſubjeciſſe atque reddidiſſe tributarias. Unde & Regium Diadema a Papa impetraſſe, tradunt. Vid. *Aug. Steuchus Lib. II. Cap. XCVIII. Baron. Tom. XI. Annal. p. 484.*

Poſ. CIV.

